x libris Caroli Antony de Rosay

SERIES AUGUSTORUM, AUGUSTARUM, CÆSARUM, ET TYRANNORUM OMNIUM,

Tam in Oriente, quàm in Occidente,

A C. J. Cæſare ad Carolum VI.

Cum eorundem Imaginibus,

Ex Optimorum Numiſmatum fide ad vivum expreſſis.

AUCTORE

LAURENTIO PATAROL.

EDITIO ALTERA

Ab eodem caſtigata, & aućta.



VENETIIS, MDCCXXII.

Apud Jo: Baptiſtam Recurti.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO,



PROLEGOMENA

Operis Inſtitutio.



ERIEM damus Imperatorum, cæterorumque hujus notæ, qui fere Numiſmatibus imperialibus exhibentur : Seriem inquam; nec enim opus hoc majus decebat nomen, quod non alio plus gaudet, quàm brevitate. Concinnabamus hanc nobis Nummorum contrectationi ſociandam, ut identidem ſubitaneam opem memoriæ, veluti de promptuario proferret, cùm ab utilitate publica alienum minimè futurum exiſtimavimus ipſam omnibus etiam Hiſtoriæ candidatis elargiri, ut per breve quoddam faciliuſque tyrocinium ad altiorem eruditionem provehantur, & facis in modum hac prælucente, longius Antiquitatis iter ſuſcipere non formident. Cui conſilio favit cum primis amantiſſimus noſtri præ-

ſtantiſſimus *D. Apoſtolus Zenus*, Caroli VI Imperatoris feliciter regnantis nunc Hiſtoricus & Poeta, tum ex ſententia ſua, tum ex epiſtola ſuper hac re celeberrimi *D. Antonii Maliabechii*, Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ, jam dum viveret, Bibliothecarii. Sed actum agitur, inquies: Habemus enim, hinc *Stradas*, illinc *Egnatium*, *Peucerum* inſuper, *Munſterumque*, qui ex profeſſo Auguſtam Hiſtoriam Orientis & Occidentis breviter ediderunt; hiſque addi poſſunt *Benvenutus*, *Gotofredus*, *Sleidanus*, & ſi qui ſunt alii conſimilis generis. Ita plane; ſed & nos non mediocri ſuperaddita opera provinciam aggreſſi ſumus. Nam, præterquam quod Chronologiam ad optimorum Auctorum calculos redactam adjecimus, non ſemel plura breviori ſtylo, ſæpiſſimè autem utiliora dubio procul, & jucundiora contulimus. Incubuimus igitur toto niſu, ut majoris momenti res, multaque ab aliis ommiſſa proferremus in medium; præſertim verò Auguſtarum, & Tyrannorum hiſtoriam, a nullo ſatis erutam, ordinatim & ſolicitè deduceremus. Quod ut lege aliqua præſtaretur, illud operæ dedimus, ut Imperatoris cujuſque recenſeremus primò nomina ſingula, gentem, & patriam; ſecundò quibus artibus, quonam in loco, & quo anno imperium ſuſceperint; tertiò mores, & acta præcipua; quartò genus mortis, & locum; quintò annos ætatis, & imperii, ſextò tandem Auctores, e quibus relata deprompſerimus, antiquiores ſemper, & Imperatoribus ipſis contemporaneos; non neglectis tamen poſt

ipſos

ipsos etiam quorundam recentiorum fide digniorum auctoritatibus. Cujuslibet verò Imperatoris vitæ imagines præfiximus, tum ipsius, tum cæterorum, qui nominandi sub ipsis occurrunt; eorum quidem, quorum Nummos, vel ex Musæolo nostro, vel ex ditioribus aliorum Cimeliis sedula conquisitione potuimus inspicere. Qui tamen ordo ad Heraclium usque ferè servatur; nam in cæteris post eundem Imperatorum tantùm imaginem apposuimus, cùm aliorum Nummis, aut pene omnibus, aut majori saltem ex parte destituamur. Neque prætermittere volumus, quòd ut Numismata historiis adderemus summopere impulit supra laudatus *Maliabechius*, cujus judicio morem gessisse & laudis & officij rem omnino censuimus. Non negamus quidem potuisse a nobis uberiorem Numismatum seriem afferri, si ex libris quoque, *Jacobo Strada* præsertim, ac *Vallemontio*, aliisque ipsa desumere libuisset. Sed cùm certa nobis sententia, steterit cum primò Libellum hunc Anno 1702 publici juris fieri curavimus, Imagines, quoad fieri posset, non aliunde quàm ex ipsis Numismatibus desumere, & ad vivum exprimere, pauciores ideo tunc, sed omnimodæ fidei apponere maluimus, quam plures dubia tamen solicitudine congregare. Impræsentiarum verò major utique ex editis ab eo tempore ad hunc usque diem præclarorum Antiquariorum operibus Numismatum copia, & secura quidem manu, peti ac transcribi potuisset; nostris tamen, prout primùm scalptæ fuerant, tabellis uti decrevimus, eruditum

a 4 simul.

ſimulque humanum Lectorem ad prædictorum operum tabulas, veluti ad uberiores fontes, remittentes. Series ab Occidentalibus incipit, quibus Orientales ſuo loco ſubjiciuntur ita, ut tam Occidentis quàm Orientis Chronologia ſimul proferantur, & ſibi invicem reſpondeant ſemper. Imperatoribus ſingulis eorundem Collegas, Cæſares, Uxores, Liberoſque ſubjunximus; in nonnullis etiam Affines quoſdam, quorum licèt Numiſmata non habeamus, non inutilem tamen futuram hiſtoriam credidimus. Tyranni tandem ſequuntur, qui regnantibus iiſdem, Imperium, aut univerſum, aut in aliqua provincia tantùm arripuerunt, aut illud arripere conati ſunt. Singula hæc qua potuimus brevitate peregimus, ab eadem nunquam diſcedentes, niſi cùm, aut præ rerum multitudine, aut præ ipſarum confuſione, Scriptorumque diſſidio indulgendum orationi parumper fuit, ut certi aliquid pronunciaretur. Quoniam verò noſtrum hocce opuſculum non parum olim ſtudioſis juvenibus placuiſſe obſervatum, iis præcipuè, quos Numiſmatum adminiculo Auguſtam Hiſtoriam conſequi delectat, alteram idcirco hanc editionem ita moliri voluimus, ut non modò caſtigatior, ſed aliquanto auctior etiam prodiret. Primò nempe nonnulla addidimus Tyrannorum & Auguſtarum nomina, antiquioribus temporibus debita, quæ in priori deſiderabantur, necnon & Cæſarum, quo nomine Imperatorum fere liberos intelligimus; Auguſtorum verò Hiſtoriam ad Carolum uſque regnantem perduximus. Secundò

ex

ex non paucis Differtationibus, quæ recentiùs a Viris doctis ad Historiæ veritatem per Nummos illustrandam scripta extant, depromere quædam placuit, quæ ad rem nostram non inepta visa sunt. Tertiò jucundum & non inutile existimavimus de ipsis Imperatorum cæterorumque Numismatibus aliquid in calce Operis dicere, ut generatim saltem noverint tyrones, quæ ex iisdem apud Antiquarios magno pretio, quæ maximo, quæque e contrario modico censeantur. Super quo, ne quis ex libidine hæc nos credat effudisse, Lectorem monitum volumus, quæcunque a nobis asseruntur, ea a C. J. Cæsaris temporibus ad Gallienum, ad mentem ferme *Jo. Vaillantii* Antiquariorum sanè præstantissimi enunciari; quæ verò a Gallieno ipso ad Heraclium, illa ad eorum fere normam expressa, quæ celeberrimus *P. Anselmus Bandurius*, *Imperialium Numismatum* a Decio ad Palæologos præclaro opere admonuit. Post Heraclium porrò, cùm Numismatum numerus ac decor deficiant multum, de eorundem raritate aut frequentia silentium erit, præsertim quòd in eorum temporum monumentis hac ipsa de causa Cimelia pleraque consistere observentur, cùm speciosi vix aliquid, quo eruditorum curiositas excitetur, ad manus veniat. Discant tamen nihilominus, monentibus nobis, rectæ indolis juvenes, Nummariæ facultati operam dantes, nullum Numismatum genus parvi facere; sed eorum seriem quoad ipsis licet, & quotquot Numismatibus datur, quamvis minus affabre ex temporum

poste-

posteriorum infelicitate scalpta illa sint, perducere non recusent; quemadmodum Viri in hac arte principes *Ducangius*, & *Bandurius* supra relatus mirabiliter præstiterunt. Et hæc ad nostri operis institutionem exhibendam dicta sufficiant.

De Nomine Imperatoris, Cæsaris, & Augusti.

IMPERATORIS nomine appellatos olim eos, qui exercitibus bellisque summa cum potestate a Senatu habita præessent, nemo est in Historia Romana mediocriter versatus qui non agnoverit. Adnotandum tamen est, nomine hoc duces illos etiam dici consuevisse, qui egregiam victoriam de hostibus retulissent; cujus rei luculenta extant exempla apud *C. J. Cæsarem*, *Comm. Bel. Civ. lib.* 2; alterum, ubi de Cajo Curione dicitur, quòd rebus feliciter contra Pompejanos gestis, *universi exercitus conclamatione Imperator appellatur*: Alterum vero *lib.* 3, ubi refertur pariter de Pompejo, quòd, Cæsaris acie profligata, *eo prælio Imperator est appellatus*. Verùm & ex plurimis aliis Historiarum locis hoc ipsum patet; confirmaturque ex Nummis ipsis, in quibus quoties legitur *Imp. iterum*, *Imp. I, II, III, &c.* non Imperii annos, sed bellorum, victoriarumque numerum significari communior eruditorum hominum opinio est. Neque in hoc assen-

aſſentiri poſſumus *Cl. Vallemontio*, qui *Elem. Hiſt.* *lib.* 5, *cap.* 23 adnotat, poſt Caracallam Imperatoris nomen in Nummis parum negotii faceſſere, cùm ad ſummam principatus poteſtatem tantùm deſignandam uſurpari videatur. Siquidem in pluribus poſteriorum temporum Numiſmatibus nomen ipſum ſanè nonniſi bella victoriaſque, ex numeris eidem nomini affixis, indicare certo certius affirmandum; cum ut alios brevitatis ſtudio prætereamus, in ipſius Valentiniani III quodam Nummo *Imper. XXXXII.* legatur, qui numerus itidem in Theodoſii altero, ante illum licet obſervare. Quidquid ſit autem, certum eſt, inde factum, ut, cùm qui foris in exercitu militarium rerum imperio potirentur, domi quoque & incives, everſa republica, dominatum aſſumpſerint, Imperatores fuerint appellati. Horum primus C. J. Cæſar fuit, qui poſt victum Pompejum Urbem ingreſſus, Dictator perpetuus jam appellatus, primus omnium ſolus Romanam ditionem adminiſtravit. Quicunque inde poſt ipſum rerum omnium ſummam tenuere, quocunque modo ad eandem pervenerint, Imperatores vocati ſunt, translato ab armis ad togam quoque vocabulo, factoque uno ſummæ poteſtatis domi foriſque nomine, quod priùs dignitatis tantùm fuerat militaris.

Cæſaris nomen ab eodem C. Julio ad Imperatores omnes poſteriores emanavit. Unde verò illud ipſe deſumpſerit non eſt facile quod ſtatuatur, cùm de eadem voce variæ tradantur ab auctoribus notationes. Ommiſſis tamen quæſtioni-

bus

bus iis, quibus pro hujus vocis etymo inter se Critici digladiantur, pro certo sit, C. Julium, non a casu aliquo, vel effectu sumpsisse Cæsaris nomen, sed utpote familiæ suæ proprium, nam & antea plures e Juliis Cæsares fuerant appellati, illud ipsum obtinuisse. Placito inde vulgi fortasse potiùs, & usu quodam, quàm aut consilio quopiam aut ratione, ad cæteros Princeps Cæsaris nomen delatum est, quod usque in hunc diem perseverat; & quod erat agnomen familiæ, transiit in vocabulum dignitatis.

Quandoque nomen hoc strictiùs etiam usurpatur; hocque dupliciter. Primò ad significandos Imperatoris affines; quare scimus, illud dedisse Augustum Cajo & Lucio nepotibus, ut illos de Cæsaris domo esse constaret; qui mos per totam ferè cognationem illam invaluit, usque scilicet ad Neronem. Secundò ad denotandos plerunque in Imperio successuros; sæpe etenim ab Imperatoribus eligebatur, qui sibi ipsis succederet; tuncque ille hoc nomine donatus jus quoddam successionis acquirebat. Fiebat hoc autem multis ex causis. Vel ex cognatione, ut imperium scilicet in familia duraret; sic Octavianus Tiberium privignum Cæsarem fecit, Tiberius ipse Drusum filium, Macrinus Diadumenianum, Philippus senior juniorem, & alii alios. Vel ex benevolentia, & honore; sic Galba Pisonem, Nerva Trajanum, &c. Vel ex simultate; sic Septimius Severus Albinum. Vel ex necessitate tuendæ Reipublicæ, sic Diocletianus, & Maximianus Constantium, & Armen-

mentarium ; isti deinque Maximinum, Severum, moxque Licinium, Gratianus Theodosium &c. Hi omnes nomen Cæsaris viventibus Imperatoribus obtinuerunt, quibus mortuis plures ex ipsis Imperatores, & Augusti facti sunt. Contigit verò nonnunquam, ut iidem Cæsares electi, Imperatores mox quoque ab iisdem Imperatoribus dicti sint, & in collegas assumpti, quod passim ex se quisque poterit observare.

Augusti nomen, quo Imperatores gaudent; Octaviano debetur. Primus ipse illud assumpsit Munacii Planci sententia, testibus *Vellejo Paterculo*, lib. 2, cap. 91, & *Svetonio* in ipsius vita cap. 7, *Cùm*, inquit, *quibusdam censentibus Romulum vocari oportere, quasi & ipsum conditorem Urbis, prævaluisset ut Augustus potiùs vocaretur, non tantùm novo, sed etiam ampliori cognomine, quòd loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur ab auctu, vel ab avium gestu, gustuve:* Ubi obiter adnotamus legendum fortasse *gustatuve*, ut est apud *Festum*. Placuit igitur nomen, quod dignitatis magnitudinem indicaret; quare deinceps ab omnibus assumptum est; ut scilicet Imperator (juxta *Flori* verba lib. 4, cap. ultim.) *ipso nomine, & titulo consecraretur*.

Etiam Uxores Imperatorum Augustas appellatas fuisse docent nos Auctores, & Nummi, quibus major habenda fides nonnunquam est; Neque ipsas tantùm, sed & Sorores, aliasque Fœminas Imperatoribus affines. Suadent hoc Nummi Marcianæ Trajani Sororis, Matidiæ

Neptis

Neptis ejusdem, Sæmiadis Elagabali, Mammææ Alexandri Severi Matrum, Juliæ Maesæ utriusque Aviæ, in quibus Augustæ istæ omnes appellantur. Fiebat hoc autem decreto plerunque Senatus, cui rerum Domini Imperatores umbratile jus quoddam permittere affectabant. Factum ita legimus ab Antonino, qui, teste in ejusdem vita *Capitolino*, *Faustinam Uxorem Augustam appellari a Senatu permisit*. Idem ab aliis factum apud omnes Historicos legere est.

De Nomine Pontificis Maximi, Tribunitiæ Potestatis, Patris Patriæ, & aliis, quæ in Nummis occurrunt.

QUandoquidem præter Imperatoris, Cæsaris, & Augusti nomina, quæ singulis ferè in Nummis leguntur, de quibus jam antecedenti capite egimus, alia etiam nonnulla in plurimis occurrunt, de ipsis ideo non incongruum duximus paucula in studiosorum gratiam ex Antiquitatis fontibus prælibare. Primò igitur in pluribus, superioris ævi præsertim, observatur Pontificis Maximi nomen, quod innuunt verba illa *Pont. Maxim.*

& bre-

& breviùs plerunquè initiales tantùm literæ *P. M.* Erat Pontifex Maximus apud Romanos sacrorum Ministrorum seu Sacerdotum princeps, cui ea potestas concessa, ut Leges scriptas interpretaretur, atque universum sacrorum ordinem, & cæremonias, cæteraque omnia ad eadem spectantia pro libito juberet, ac moderaretur, auctoritate illa prorsus, quam præcipuè videre est apud *Sveton. in Aug. cap.* 31. Ex quo satis constat quanta dignitatis ejus vis esset, ex iis, quæ Imperator ille, Pontifex Maximus factus, jure muneris innovavit. Pontificatus hujusce institutio Numæ Regi refertur, teste *Livio lib.* 1, ipsius autem magnitudo toto Reipublicæ tempore admodum viguit; creárique solebant Pontifices hi ex iis ferè viris, qui dignitatibus præcipuis & honore Sellæ Curulis perfuncti essent, ut ex eodem *Livio lib.* 25. colligitur; quamvis inde processu temporis, quæ est rerum omnium vicissitudo, etiam ex Plebejo Ordine quidam fuerint renunciati, quemadmodum eidem ordini cæteras etiam dignitates maximas concessas legimus. Dignitatis hujus magnitudo ex eo iterum constat, quòd C. J. Cæsar, honorum ille summæque dominationis appetentior, Pontificatum Maximum petiit *non sine profusissima largitione*, ut docet in ejus vita *Sveton. cap.* 15. Augustus inde, Imperatorum alter, eundem, mortuo Lentulo, suscepit, prout tradit *Sveton. loco supracit.* Augusti autem exemplum secuti Principes reliqui, Pontificatum Maximum avidissimè sibi assumpserunt, sive idem per adulationem ipsis a Ro-

manis

manis additum est, ut ex Numismatibus aliisque veteribus monumentis patet. Illud quidem verum, morem hunc Pontificatus Maximi titulum cæteris addendi in superioris ævi monumentis frequentiùs occurrere, in inferioris autem, quo plus ab anterioribus temporibus receditur, rariùs observari, & in Gratiano Imper. ferme desinere; dignitatem illam siquidem ab hoc Principe recusatam auctor est *Zosimus lib.* 4. Cùm etenim ipsi Pontificalis amictus de more allatus fuisset, *aversatus est id, quod petebant, ratus non esse fas illiusmodi habitu Christianum uti*. Liquet ergo, non tantùm nomine tenus dignitate hac Imperatores potitos, sed & ejusdem insignibus usos, & ejusdem munera pariter a pluribus peracta, ut colligendum videtur ex Historicis, quos refert eruditissimus *Spanhemius*, *Dissert.* 8. Perpetuum autem Pontificatum Maximum assumebant Imperatores; idcirco nulla ejusdem in Nummis, Lapidibus, aliisve monumentis observatur renovatio, prout alioquin in Consulatibus, & Tribunitia Potestate occurrit, quarum dignitatum varius inscribitur numerus pro variis vicibus, quibus easdem ipsi Principes assumpserunt. Ex iis igitur, quæ de Gratiano *Zosimus* refert, credibile est, Imperatorem illum non ornamenta modò, sed & nomen titulumque ejus honoris respuisse; qua moderatione successoribus suis ipse præluxerit, ut non ultra eodem voluerint uti.

Secundò Tribunitiæ Potestatis nomen observatur, in prioris ævi præcipuè Nummis, indicatur-

caturque Literis iis *Tr. Pot.* vel *Tr. P.* vel *T. P.* Poteſtas Tribunitia antiquiſſimus fuit Urbis Romæ magiſtratus, non multis poſt Reges exactos annis inſtitutus, quando facta Plebis in Montem Sacrum ſeceſſione, adverſùs Senatum, eidem Plebi conciliandæ concordiæ gratia Tribuni conceſſi ſunt, ut ſatis conſtat ex *Livio lib.* 1, 6, & alibi. *Halicarnaſ. Lib.* 6, aliiſque ex Auctoribus. Erant Tribuni igitur defenſores juris ac libertatis Romani Populi, contra Patritiorum ſummorumque Magiſtratuum vim & auctoritatem, contraque ipſa Senatus decreta, quibus fortè ejuſdem Populi immunitas lædi videretur. Notiora ſunt autem ex Hiſtoriis Tribunitiæ auctoritatis exempla, quàm ut hìc referri mereantur: Conſtatque, inter cætera, ex *Sveton. in Tiber.* præſertim, *cap.* 23, *jure Tribunitiæ Poteſtatis* etiam Senatum cogi conſueviſſe. Hanc itaque Dignitatem pariter Imperatores ſibi arrogare ſtatim affectabant; ſive ut plus inde venerationis apud Populum ſibi compararent, ſive ut omnia & ſingula dignitatum poteſtatumque genera in ſe unos transferrent, aliis autem tantæ auctoritatis ne ſpecies quidem, aut ſpes ulla ſupereſſet. Non omnino tamen ſub Imperatoribus ereptam privatis viris Tribunitiam Dignitatem adnotandum, cùm legamus apud *Sveton. in Domit. cap.* 8, auctorem ipſum fuiſſe *Tribunis Plebis Ædilem ſordidum repetundarum accuſandi, &c.* Hoc rarum tamen fuiſſe credendum: Et ſicut plurimos Conſulatus, ſic Tribunitias Dignitates fere ſemper ab Imperatoribus actas arguere licet, cùm ea-

b run-

rundem tam frequens memoria in Numismatibus occurrat, sive ut rectiùs dicamus, Tribunos quidem nomine tenus privatos viros fuisse, sed Tribunitiam auctoritatem omnem apud Imperatores extitisse. Legimus ideo, Augustum, referente *Svetonio cap.* 27, collegam quidem sibi Tribunitiæ Potestatis in singula lustra cooptasse, sed perpetuam recepisse; & Tiberium, eodem teste *cap.* 9, in quinquennium ipsam accepisse; & *cap.* 16, in aliud quinquennium iterum prorogasse. Tanti autem sub ipsis Imperatoribus dignitas hæc fieri meruit, ut iidem sibi socios adjungere soliti essent illos, quos in successores sibi destinabant, ac proinde Cæsares nominabant: Unde illud *Plin Paneg. cap.* 8, de Trajano; *simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribunitiæ Potestatis, &c.* quem morem sub Romanis Principibus viguisse confirmant loci plures apud *Tacitum*, *Svetonium*, *Dionem*, aliosque. Quamvis autem rerum omnium Domini Imperatores esse & haberi vellent, ideoque perpetuo Tribunitiæ Potestatis jure uti, ejus tamen susceptionem, quemadmodum & Consulatuum, quoties acciperent, renovare solebant, & quotannis quidem, non Kalendis utique Januariis, quo die Consulatum auspicari mos erat, sed alia quapiam die, pro Imperatorum libito, ut puto. Hinc fit quòd eodem anno duplex Tribunitiæ Potestatis numerus sæpissime observetur; in eundem enim recurrebat, ut patet, & veteris exitus, & novæ Potestatis initium: Quare sub eodem Consulatu & *Trib. Pot. I, & II* diceba-

tur.

tur. Quòd si nonnunquam sub eodem pariter Consulatu plures quam duo Tribunitiæ Potestatis numeri occurrant, quod in Numismatibus Septimii Severi sub *Consul.* III observatur, sub quo *Trib. Pot.* numerus a X ad usque XVIII, & in Caracallæ sub *Consul.* III, & IV, sub quo eadem *Trib. Pot.* ab XI ad XX legitur, in aliisque nonnullis similiter, illud exinde est, quòd quoties Imperatorum quispiam Consul extiterat, tot semper vicibus Consul, etiam si actu non esset, dicebatur; sicque in allato Septimii Severi exemplo, postquam *Consul.* III idem fuit, singulis sequentibus annis *Consul.* III semper est dictus, quamvis Consul non esset; dumque Tribunitiam Potestatem resumebat, *Consul* III semper appellabatur. Patet hinc, Tribunitiæ Potestatis vices magnum præbere lumen ad dignoscendos annos, quibus Imperatores rerum summa fuerint potiti; atque ideo admodum optandum esse, quod eruditissimus *Vaillant*, *de Numism. in Colon.* scriptum reliquit, ut *Nummi omnes Tribunitiam Potestatem unius cujusque Imperatoris exhiberent*. Dignitatem hanc in Romano Imperio viguisse, & ab Imperatoribus usurpari solitam usque ad Constantinum Magnum, in ipsoque primùm desiisse, tradit *Lipsius*, *de Magistr. Vet. Pop. Ro. cap.* 15, quem Auctores alii sequi videntur.

Ut verò non modò quidquid auctoritatis esset in Republica, sed quidquid etiam ornamenti tantùm ac decoris Imperatores id sibi usurparent, ac titulis adderent, inter hosce etiam Patris Pa-

triæ nomen recensitum tam Nummariæ, quàm Lapidariæ Inscriptiones abundè nos docent. Nomen hoc, florente adhuc libertate, M. Tullio Ciceroni datum est *frequentissimo Senatu*, ut ipse de se, inter alia, jactanter prædicat *Orat. in Pison.* eundemque primum hoc titulo decoratum testis est *Plin. Nat. Hist. lib.* 7, *cap.* 30, iis verbis: *Salve primus omnium Parens Patriæ appellate*. Rerum postea summa in C. J. Cæsarem translata, nomen quoque Patris Patriæ ipsi ex adulatione metuque civium inditum legimus apud *Sveton. cap.* 76, cùm alioquin Parricida potius, quàm Pater Romanæ libertatis ac Patriæ meruerit appellari. Idem & Augusto Imperatorum secundo mox statim *universi repentino maximoque consensu detulerunt*; necnon exinde cæteris quoque Principibus de more datum. Tanti autem Cognomen hoc ab iisdem habitum est, ut venerationis tantundem cæteris titulis ipsos non præstitisse ex Historicis constet. Quocirca refert *Sveton. in Nero cap.* 58, nomen ipsum ab eodem Principe recusatum fuisse propter ætatem; a Vespasiano autem, in ejus vita *cap.* 12, nonnisi serò receptum; a Trajano tandem constantissimè, quantum ipse potuit, recusatum fusè tradit *Plin. Paneg. cap.* 21. Ut autem verbis illis *P. P.* quoties in Nummis sæculi Superioris occurrunt, *Pater Patriæ* significari credatur, docent nos tum Historicorum verba, tum auctoritas Inscriptionum in Lapidibus antiquis, in quibus integra eadem verba leguntur. In inferioris autem sæculi Numismatibus per easdem Literas,

quæ

quæ frequentiſſimè quidem obſervantur, Perpetuitatis nomen, & Pietatis indicari Antiquariis placet, ſic iiſdem docentibus Inſcriptionibus, prout quilibet ex ſe poteſt apud Rei Lapidariæ Scriptores animadvertere. Quoties ergo poſt Imperatorium nomen Literæ *P. F. A.* viſuntur, convenit jam inter omnes fere, ut legendum ſit *Pius Felix Auguſtus*; cùm verò extant *P. P. A.* intelligatur *Perpetuus Auguſtus;* quanquam, meo judicio, & *Pius*, *Perpetuus*, *Auguſtus* reddi poſſit. Literæ illæ *P. P.* nonnunquam etiam Valeriani temporibus ſe ſe objiciunt; non rarò inde verò ſub ſequentibus Imperatoribus obſervantur: At nunquam frequentius uſurpari cæpiſſe, quam ſub Leone I, ſatis conſtat.

In aliquibus tandem, Cæſarum præcipuè, Nummis adeſt & nomen *Principis Juventutis*; nec in prioris ſæculi tantùm, Caji nimirum & Lucii Auguſti Nepotum, Getæ, Diadumeniani, Maximi, Philippi Junioris, &c. ſed & in aliquibus inferioris ævi monumentis, ut Gallieni, ipſiuſque Conſtantini Magni filiorum. Hoc quoque nomen non novum ſub Imperatoribus, ſed in Republica antiquum; eo enim vocari ſolebat, qui pueris Trojæ luſum ludentibus præerat. Erat autem maximæ dignitatis, cùm Trojam non luderent, niſi nobiles pueri, quorum quidem diſtinctionem fieri in Majores & Minores conſueviſſe apud Romanarum Rerum Scriptores videre eſt; a quibus etiam diſcimus, ludi hujus inſtitutum ad Trojanos referendum, ideoque Trojæ vocabulum eidem inditum, cum

nempe Ænea duce primùm in Italiam illi venerunt, ſuper quo luculentiſſimum *Virgilii* locum, *Æneid. lib.* 5, operæ pretium eſt legere. Ludebant verò pueri illi, non in curribus, & quadrigis, ut malè quidam exiſtimarunt, ſed in equis: Quocirca Principes Iuventutis per Statuas Equeſtres repræſentari ferè ſolebant, ut ex Numiſmatibus Neronis & Druſi, Titi & Domitiani, item & Getæ ſatis patet. Interdum tamen etiam per figuram peditem inter duo ſigna militaria exprimebantur, ut apparet in Nummis Maximi, Filippi Junioris, aliorumque, quaſi eſſent ipſi ſigniferi Juventutis. Summæ autem dignitatis loco munus Principis Juventutis etiam ſub Imperatoribus habitum, conjectari ex eo poteſt, quòd conferri ſolebat ipſorum filiis, nepotibuſve, aut aliis ex imperatoria familia; adeo ut qui nomine hoc inſignirentur, hi non ſecus ac Cæſaris titulo donati, poſt Imperatorem proximo loco, ac ſucceſſionis ad Imperium ſpe omnino gauderent; quod primus ipſe Auguſtus inſtituit, creatis Juventutis Principibus Cajo & Lucio nepotibus ſuis ex Julia filia Marco Agrippæ in uxorem data. Inſuper Tiberium ipſum Trojanis Circenſibus præfuiſſe auctor eſt in ipſius vitá *Sveton. cap.* 6. Cæterum nonniſi adoleſcentibus nomen illud datum ex iiſdem Numiſmatibus conjectari poteſt, cùm nec ulli Imperatorum, nec ulli provectorum ætate Cæſarum inditum in ipſis appareat.

Præter titulos illos, de quibus breviter hucuſque diſſeruimus, occurrunt & nomina Con-

ſulis,

fulis, Proconfulis, Cenforis, & fi quæ funt alia: De iftis, utpote quæ minùs explicationis pofcere videantur, nil ultra addere vifum eft. Qui plura cupit fuper fingulis, confulat, inter cæteros Auctores, eruditiffimi fuperiùs laudati *Spanhemii, de Præftantia & ufu Numifmatum*, Differtationem octavam, in qua ex profeffo de iifdem actum lætanter inveniet.

De varia pro variis temporibus Imperatores eligendi ratione.

PLuribus modis ad principatum Imperatores olim perveniffe ex Hiftoricis comperimus; quos fingulos ut clariùs & diligentiùs explicemus, non alienum erit Romani Imperii duplicem periodum mente concipere, veterem fcilicet a C. J. Cæfare ad Carolum M. protenfam, & novam, quæ ab eodem Carolo ad noftra tempora ufque perveniat. In veteri Imperatores factos fuiffe legimus, vel ex hæreditate, vel ex electione. Ex hæreditate rurfum dupliciter; vel propria fcilicet, vel impropria. Propriam hæreditatem intelligimus eam, quæ tranfibat in propinquos, præcipuè filios & nepotes. Hac fanè Imperium obtinuiffe videntur Auguftus, Tiberius, Cajus, Titus, Domitianus, Commodus, Caracalla, Alexander, Gallienus, Florianus, Conftantinus M. ejufdem

tres filii, Gratianus, Arcadius & Honorius, Theodosius Junior, Justinus Minor, Constantinus Novus, Heracleonas, Constantinus Pogonatus, Justinus III, Constantinus Copronymus, Leo IV, Constantinus VI. Impropriam illam hæreditatem appellamus, quæ non ex affinitate, sed ex Imperatorum placito successoribus contingebat. Hac provecti sunt Hadrianus, Antoninus Pius, M. Aurelius, Claudius Gothicus, Constantius Chlorus, Maximianus Armentarius, Julianus, Valentinianus III, Zeno Isauricus, Justinianus, Tiberius Constantinus, Mauritius. Ex electione verò quadrupliciter; nimirum, vel Imperatoris, vel Senatus, vel Militum, vel Senatus simul & Militum. Electione Imperatoris creati sunt Trajanus, L. Verus, Carinus, Maximianus Senior, Severus, Maximinus Daza, Licinius, Theodosius, Marcianus, Majorianus, Anthemius, Olybrius, Nepos, Anastasius. Electione Senatus Balbinus & Pupienus, Hostilianus, Quintillus, Tacitus, Constans Junior. Electione Militum Imperium plurimi adepti sunt, & hi quidem dupliciter; vel per Prætorianos, ut Claudius, Nero, Nerva, Didius Julianus, quibus addi possunt Otho, Pertinax, Leo, & Augustulus; vel per Exercitum & Legiones, ut Galba, Vitellius, Vespasianus, Severus, Macrinus, Elagabalus, Maximinus, Gordiani Africani duo, Philippus, Decius, Gallus, Æmilianus, Valerianus, Aurelianus, Probus, Carus, Diocletianus, Jovianus, Valentinianus, Glycerius, Phocas, Phi-

lippi-

lippicus Bardanius; Theodosius III, Leo III. Electione Senatus & Militum simul creatos legimus Gordianum III, Avitum; Heraclium, & Arthemium. Jam dictis genus alterum addi potest eorum, qui neque à Senatu, neque à Militibus acclamati, imperium ex se ipsis audacter arripuerunt. Inter hosce Julium Cæsarem, Maximum, Severum, & Justinum liceat numerare.

In nova quoque periodo, vel ex hæreditate, vel ex electione delatum Imperium satis constat. Ex hæreditate statim illud obtinuit Ludovicus Pius, inde Lotharius, &c. præterea Otho II, & III, ac plurimi alii, quos recensere singulos non est opus. Electio verò potest hic sub ratione triplici considerari; alia scilicet à Pontifice Romano procedens, alia à Principibus omnibus Imperialibus, alia tandem à septem tantùm Electoribus. Electione solius Pontificis creatos Imperatores non semel scimus. Ita Carolus M. Francorum Rex, adlatrantibus incassum iis, qui eidem imperium armorum jure acquisitum attribuunt; ita Carolus Calvus, Ludovicus Balbus, &c. item Guido Spoleti Dux, Berengarius I, Otho M. Berengarius II, juxtà quosdam, & si qui sunt alii. Electione Principum omnium Imperialium, qui fermè erant Germaniæ Proceres, non sine tamen Italicorum quoque Principum suffragiis, propter Italiæ Regnum, quod electi acquirebant, Imperatores cæteri ad usque Septemviratus institutionem electi sunt. Adnotandum verò, Principes ab iisdem electos, non

Imperatores quidem strictè loquendo creatos, sed Germaniæ Reges : Quia verò mos invaluerat, ut fere Germaniæ Reges aureo etiam Imperii diademate coronarentur, hinc fiebat ut Rex Germaniæ creatus, Imperator quoque factus diceretur. Inde est quòd apud plurimos ex veteribus Historicis, & Germanis quidem plerisque, Regum nomine Imperatores semper appellentur, annique ipsorum sub duplici ratione assignentur; nimirum Regni, initio facto ab anno electionis, & Imperii, ab accepta per Romanum Pontificem Imperii corona. Plures item ex Imperatoribus Sanctæ Sedi reverentiam præstantes, se se nunquam Imperatores liberè pronunciavetunt, nisi post acceptam solemni ritu coronam, & apud Albertum Argentinensem Ludovicum V excommunicatum fuisse legimus, quòd se se liberiùs pro Imperatore gereret ante Pontificiam coronationem. Electione septem Electorum cæteri inde usque adhuc ad Imperium evecti sunt. Acerrima lis est autem inter Scriptores de tempore, quo septenarius hic numerus fuerit institutus. Aliqui, inter quos Panvinius, Lib. de Comit. Imper. cap. 6, & Aventinus, Annal. Bojor. libr. 5, hoc post Friderici II circiter tempora factum contendunt, Gregorio X Pontificatum tenente. Alii cum communiori sententia, quam tuentur Schardius, libr. de origine septem Elect. cap. 3, & Bellarminus, de translat. Imper. Rom. lib. 3, cap. 3, tradunt, Gregorium V Pontificem, imperante Othone III, statuisse ut Imperator deinceps a septem Electoribus

ribus renunciaretur. Alii, inter quos eruditus quidam recentior Mediolanensis, cum quo libentissimè sentimus, sanctionem hanc de Imperatore eligendo a Gregorio V latam quidem arbitrantur, vim autem suam non exercuisse statim affirmant; ideoque post Othonem III. Imperatores adhuc, in Germanis quidem Comitiis, sed a pluribus electos e Germaniæ Proceribus; donec tandem sensim, tum Pontificum, tum potentiorum Principum auctoritate Electorum numerus fuerit diminutus, & ad Septemviratum juxta Gregorii V mentem reductus. Quidquid sit autem super hoc, teneatur, ab Anno saltem 1273, quo creatus est Rodolphus Habspurgensis, consentire omnes, Imperatorem a septem tantùm Electoribus renunciari cæpisse; qui mos ab iis temporibus duravit ad nostra fere: Elapso enim sæculo septem prioribus alii duo additi sunt, ita ut novem modò numerentur; nimirum Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, qui Electores Ecclesiastici dicuntur; & Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Sassoniæ, Marchio Brandeburgicus, & Dux Brunsuicensis, qui sæculares. Potest autem hæc electio dupliciter considerari; vel ut libera, vel ut coacta. Liberam dicimus quotiescunque, Imperatoribus successore sibi non designato morientibus, liberum sit Electorum suffragiis in quem voluerint intendere. Coactam verò, aut saltem non ita liberam, quando Imperator adhuc vivens successurum sibi designet; tunc enim Electores in defuncti gra-

tiam Imperatorem, quem nominaverit ipse renunciant. Ita olim factum ex Historicis passim comperimus; & modò quoque in Imperatoribus Austriacis licet observare. Hæc sunt, quæ de varia Imperatores eligendi ratione colligere, ac proferre sub brevitate potuimus. Quòd si alia quæpiam explicanda ratio superesse videatur, aut ad jam allegatas reduci poterit, aut ea non erit, quæ speciatim debeat recenseri.

De variis Imperii Romani Periodis.

ROMANAM REM a C. J. Cæsare ad usque M. Aurelium unicus habuit Imperator. Eo primùm temporis duos unà Princeps Roma vidit, cùm idem sibi Hadriani jussu L. Verum in collegam assumpsisset. Nulla tunc tamen divisio rerum est habita; sed ambo simul unanimiter præfuere, ac si non duo fuissent, sed unus tantùm. Continuò res rediit ad unum usque ad Caracallam & Getam Septimii filios, ambos Imperatores dictos, & quidem diviso per matrem Juliam imperio, ut ille Occidentalibus provinciis, hic autem Orientalibus potiretur. Post hosce rerum hæc imperiique divisio servata non fuit; & quamvis non semel bini fuerint Imperatores, ut Pupienus & Balbinus, Philippus, Decius, Volusianus cum filiis, imperium tamen ipsi pro indiviso tenuere.

Dio-

Diocletiano autem ad rerum faſtigium evecto Anno 284, viſum eſt intereſſe Reipublicæ & alterum creare, qui Romanam ditionem longè latèque diffuſam, & Barbarorum inſultibus plurimis diverſiſque in locis obnoxiam moderaretur. Elegit ipſe ſibi igitur in collegam Maximianum Herculium, quem Occidenti præfecit, cùm ſibi Oriens reſervaſſet. Ab iſtis inde electi ſunt gemini titulo Cæſaris, nimirum Conſtantius, & Maximianus; qui ſibi rurſum Maximinum, & Severum, in hujuſque locum Licinium adjunxerunt. Ita Romanum Imperium per Annos circiter 40, plures agnovit dominos, donec totum uni Conſtantino M. ceſſit A. 324. Ab hoc celebris illa definita eſt Imperii in Occidentale ac Orientale diviſio, ſelectumque ac reſtauratum Byzantium, ut ſedes eſſet Orientalium Imperatorum, ſicuti Roma Occidentalium. Hæc deinceps diſtinctio viguit; ita ut, uno aut altero tantùm exceptis, qui ſoli regnarunt, bini ſemper fuerint uſque ad Auguſtulum Imperatores. Hoc autem in ordinem redacto Anno 476, Orientalis Imperii ſolummodo nomen perſeveravit, Occidentalis verò abolitum eſt, inſtituto a Gothis primùm, inde a Longobardis in Italia Regno, everſaque non ſemel Roma, cumque eadem Imperii Romani in Occidente ditionibus, & dignitate prorſus excisis. Duravit interſtitium Occidentalis Imperii Annos 324, uſque nempe ad Carolum Magnum, qui a Pontifice Imperialem coronam accepit, & Occidentis ſalutatus eſt Imperator. Habuit tunc denuo Ro-

manum

manum Imperium Principes geminos; nam licèt nonnulli ex Imperatorum albo Orientales post Carolum Magnum expungere conentur, injuria tamen & frustra contendunt, cùm iidem, & Imperatoris nomen, & ornamenta, & Orientalis Imperii sedem semper obtinuerint. Occidentale Imperium in Carolo renatum viget adhuc; Orientale verò jam corruit, 268 circiter ab hinc annis, imperante Constantino XI. Palæologo: Capta enim a Mahomethe II. Turcarum Rege A. 1453 Constantinopoli, Christianorum res ibidem funditus eversæ sunt; & cum ipsa sua sede Imperium quoque in jura cecidit Barbarorum.

Solent Historici, pro suo quilibet placito, varias Imperii Romani divisiones & periodos effingere, quarum quælibet non magni momenti est, ideoque ipsas omnes hìc recensendas minimè existimavimus. Ne tamen & respuere singulas videamur, illud unum adnotandum duximus, quatuor secerni posse a Carolo M. ad nos usque periodos. Prima sit Francorum, ab eodem Carolo usque ad Conradum I, per Annos 119. Secunda Saxonum, ab Henrico I ad Henricum II, per Annos 105. Tertia Francorum, Saxonum, aliarumque nationum & gentium, a Conrado II ad Sigismundum, per Annos 414. Quarta Austriacorum solorum, ab Alberto II ad Carolum VI, regnantem, per Annos 282 usque adhuc, ad Annum scilicet 1721, quo rursum hæc scribimus.

INDEX

INDEX AUCTORUM,

E quibus

Seriem nostram expressimus.

Anon.

Anon. Excerp. *Anonymi excerpta de Imperatoribus, a Diocletiano ad Justinum.*

Anon. de abdic. &c. *Anonymi Historiola de abdicatione, seu renunciatione imperii ac regnorum, a Carolo V facta. Habetur in Schardio sub fine Tomi secundi; & in Goldasti Politicis Imperialibus.*

Anon. gest. sub Ferd. *Epitome rerum in orbe gestarum sub Ferdinando I, ab A. C. 1558 ad A. 1564; Auctore Anonymo apud Schardium, sub fine Tomi 3.*

Anon. gest. sub Maximil. *Auctor Anonymus de rebus in orbe gestis sub Maximiliano II, ab A. 1565 ad A. 1574, apud Schardium sub fine Tomi 4.*

Anon. Princ. Mun. *Anonymi brevis historia de omnibus Principibus mundi; eorundem genealogiam &c. referens usque ad nostra tempora.*

Appian. *Appianus Alexandrinus. Scripsit singulis Libris bella sex celebriora Romanorum. Item Bellorum Civilium Libros 5; & quædam alia.*

Avent. *Joannes Aventinus. Libri 7 Annalium Bojorum; a gentis origine ad A. C. circiter 1450.*

Bandur. *Anselmi Bandurii Numismata Imperatorum Romanorum, a Trajano Decio ad Palæologos Augustos. Accedit Bibliotheca Nummaria, sive Auctorum, qui de Re Nummaria scripserunt.*

Baron. *Cæsar Baronius. Annales Ecclesiastici, a Christo nato ad A. C. 1198.*

Benven. *Benvenutus de Rambaldis Imolensis. Liber Augustalis; a C. J. Cæsare ad Wenceslaum.*

Bertold. Const. *Bertoldus Constantiensis Presbyter. Scripsit Chronicon post Hermannum Contractum, ab A. 1053 ad A. 1100.*

Besselm. *Sebastianus Besselmejerus. De obsidione Magdeburgi historica descriptio.*

Blond. *Blondus Flavius Forliviensis. Libri 31 Historiarum, ab inclinatione Imperii; temporibus scilicet circiter Theodosii Junioris, ad A. 1440.*

Boxhorn. *Marcus Zuerius Boxhornius. Historia Universalis, a Christo nato ad A. 1660.*

Brachel. *Adolphus Brachelius. Historia sui temporis, ab An. 1618 ad A. 1652.*

Briet. *Philippus Brietius. Annales Mundi, ab eodem condito ad A. C. 1663.*

Bucholc. *Abrahamus Bucholcerus. Index Chronologicus, ab Orbe condito ab A. C. 1616.*

Calchi.

Calchi. *Tristanus Calchi Mediolanensis. Historiae Patriae L. 20, ab Urbe condita, Anno ante Christum circiter 600, usque ad A. C. 1313.*

Camer. *Joachimus Camerarius. Narrationes de rebus Turcicis, a gentis origine ad Annum C. circiter 1538.*

Candid. *Joannes Candidus. Commentariorum Aquilejensium Libri 8, ab urbis origine ad A. C. circiter 1514.*

Cantacuz. *Ioannes Cantacuzenus. Historiae Byzantinae Libri 4, attingentes tempora Palaeologorum, Andronici II, III, & Ioan. III.*

Capitol. *Iulius Capitolinus. Vitae Antonini Pii, Marci Aurelii, Lucii Veri, Pertinacis, Albini, Macrini, Maximini, Maximi Caesaris, Gordianorum trium, Maximi seu Pupieni, & Balbini.*

Cassiod. *Aurelius Cassiodorus. Chronicon, a Latino primo Latii Rege ad Anastasium Dicorum Imperatorem.*

Cedren. *Georgius Cedrenus. Compendium Historiarum, a mundo condito ad Isaacium Comnenum.*

Cheur. *Dominus Cheureau. Scripsit Gallicè Libris 6 Historiam Mundi, a primis Hominibus ad Leopoldum Imp.*

Christ. Matth *Christianus Matthiae. Theatrum Historicum, in quo agit Auctor de quatuor Monarchiis, e quibus Romanam prosequitur ad Rudolphum II.*

Chron. Herveld. *Chronicon Monachi cujusdam Herveldensis, (notandum in nonnullis Libris huic operi affigi nomen Lamberti Scaffaburgensis) a mundo condito ad Henricum IV Imp.*

Chron. ElWag. *Chronicon Elvvagensis Monasterii, ab A. 1095 ad Ann. 1477.*

Chron. Aug. *Pars Chronicae Monasterii SS. Uldarici & Afrae apud Augustam Vindelicorum, ab A. 1152 ad A. 1265.*

Chron. Austr. *Chronicae Australis antiquae excerptum per Mathiam Marescalum de Bappenheim ab A. 852 ad A. 1326.*

Chron. Graec. *Chronologia Imperatorum Graeca, a C. J. Caesare ad Michaelem Palaeologum, ex antiquitatibus Constantinopolitanis Palatinae Bibliothecae Libro, juxta editionem Francofurtensem Friderici Sylburgii A. 1590.*

Chron. Colmar. *Chronicon Dominicanorum Colmariensium, ab A. 1211 ad A. 1303, apud Urstisium, Tomo 2.*

Chron. Belg. *Magnum Chronicon, in quo praecipuè Belgicae res explicantur, Auctore quodam ex Canonicis Regularibus S. Augustini prope Nussiam, ab A. C. 54 ad A. 1475.*

Chron. Germ. *Chronicorum Germaniae L. 31, a prima gentis origine ad A. 1539.*

Coccin. *Michael Coccinius Tubingensis. Opus de Bellis Italicis Maximiliani.*

Compil. Chron. *Compilatio Chronologica; seu Chronicon excerptum*

ptum ex diversorum Chronicis, ab initio Mundi ad A. C. 1474, continens præcipuè res Pontificum, & Imperatorum.

Contin. Sigeb. *Continuator Sigeberti, qui a plerisque dicitur Robertus de Monte. Scripsit ab A. 1113 usque ad A. 1210.*

Contin. Aim. *Continuator Aimoini, a capite 42 Libri 4, ab A.C. scilicet 638 circiter usque ad A. 1165. Adnotandum, non unicum fortasse esse Continuatorem Aimoini, sed geminum; primum scilicet a loco citato ad finem Libri quarti; alterum ab initio ad finem Libri quinti.*

Cortus. *Gulielmus & Andrighettus Cortusii Patavini. Scripsere Historiam de novitatibus Paduæ, ac Lombardiæ, ab A. 1256 ad 1364, ubi plura habentur de Ludovico Bavaro Imp.*

Cuspin. *Joannes Cuspinianus. Vitæ Cæsarum, & Imperatorum Romanorum, tum Occidentalium, tum Orientalium, a C. J. Cæsare ad Maximilianum II.*

Dithmar. *Dithmarus. Chronicorum Libri 7, comprehendentes res Imp. Henrici I, trium Othonum, & Henrici Secundi.*

Dodech. *Dodechinus Abbas Monasterii S. Dysibodi. Continuatio Chronicorum Mariani Scoti, ab A. 1084 ad A. 1200.*

Dubrav. *Ioannes Dubravius Olomuzensis Episcopus. Historiæ Bohemiæ Libri 33, a Gentis origine ad Ferdinandum I Imperatorem, A. scilicet C. 1527.*

Duc. *Ducas, Michaelis Ducæ nepos. Historia Byzantina, a Ioannis Palæologi temporibus ad Mehemetem II Turcarum Regem, ab A.C. scilicet 1360 ad A. 1462.*

Eginar. *Eginarthus Caroli Magni scriba. Ejusdem Caroli Vita.*

Egnat. *Io. Baptista Egnatius. Scripsit vitas Romanorum Principum Libris 3, Orientalium quidem omnium, Occidentalium verò usque ad Maximilianum I.*

Etrop. *Ioannes Etropius. Diarium expeditionis Tunetanæ a Carolo V susceptæ.*

Evagr. *Evagrius Scholasticus Epiphanensis. Ecclesiasticæ Historiæ Libri 3, a Theodosio Juniore ad annum duodecimum Imperii Mauritii.*

Euseb. *Eusebius Pamphili Cæsariensis Episcopus. Ecclesiasticæ Historiæ Lib. 9, a Christo nato ad Constantinum M. Item de vita Constantini M. Lib. 5.*

Eutrop. *Eutropius Historię Romanę Libri 10, ab Urbe condita ad mortem Joviani.*

Florus. *Lucius Annęus Florus. Rerum Romanorum Epitome, Libri 4, a Romulo Rege ad Augusti Imperium.*

Fragm.

Fragm. Hist. *Fragmentum Historicum incerti auctoris, ab A.* 631 *ad* 1268. *Legitur præfixum Chronico Alberti Argentinensis.*

Genebr. *Gilbertus Genebrandus. Chronographiæ Libri* 4, *ab Orbe condito ad A. C.* 1584.

Godefr. *Godefridus Monachus S. Pantaleonis apud Coloniam. Annales ab A.* 1162 *ad A.* 1237.

Gotofred. *Joannes Ludovicus Gotofredus. Archontologia Cosmica, sive Principatum omnium commentarii, in quibus habetur Imperatorum Occidentis Historia, a C. J. Cæsare ad Ferdinandum II.*

Glyc. *Michael Glycas Siculus. Annales partibus* 4 *distincti, a Mundi exordio ad obitum Alexii Comneni.*

Haym. *Nicolaus Franciscus Haym. Thesauri Britannici Pars prima, quæ Musæum Nummarium ab ipso vocatur.*

Hepidan. *Hepidanus Cænobita S. Galli. Annales breves rerum in Alamannia gestarum, ab A. C.* 708 *ad A.* 1180.

Herm Contr. *Hermannus Varingensis Comitis filius in Svevia, Contractus a membrorum contractione cognomento. Chronicon, ab Orbe condito ad A. C.* 1054.

Herod. *Herodianus. Scripsit Libris* 8 *Res Romanas, a morte Marci Aurelii ad initium Imperii Gordiani III.*

Hist. Prof. *Historia Profana, Gallicè scripta, ad nostra usque tempora res totius Orbis complectens.*

Joel. *Joelis Chronographia compendiaria, ab Adamo ad Alexium Murtzuphlum.*

Jornand. *Jornandes Gothus. Scripsit Librum de Regnorum ac temporum successione, a Romulo Rege ad Justinum Imperatorem. Item Librum de rebus Goticis, seu de gestis Gothorum, a gentis origine ad tempora Justiniani I.*

Lamprid. *Ælius Lampridius. Scripsit vitas Commodi, Diadumediani Cæsaris, Heliogabali, & Alexandri Severi Impp. Dubitatur tamen ab aliquibus, postremam hanc vitam ipsene scripserit, an Æl. Spartianus.*

Laz. *Wolfgangus Lazius Viennensis Medicus. De gentium aliquot migrationibus, &c. L.* 12, *in quibus plures habentur Principum Genealogiæ.*

Leo Ost. *Leo Cardinalis Episcopus Ostiensis. Libri* 3 *Chronici Monasterii Cassinensis, attingentes facta Imperatorum, a Justiniano ad annum usque circiter* 1086. *Quartum addidit Librum Petrus Diaconus Ostiensis, qui continuat Historiam usque ad A.* 1138.

Luithpr. *Luithprandus Ticinensis Ecclesiæ Levita, & Cremonensis Epi-*

ptum ex diversorum Chronicis, ab initio Mundi ad A. C. 1474, continens præcipuè res Pontificum, & Imperatorum.

Contin. Sigeb. *Continuator Sigeberti, qui a plerisque dicitur Robertus de Monte. Scripsit ab A. 1113 usque ad A. 1210.*

Contin. Aim. *Continuator Aimoini, a capite 42 Libri 4, ab A.C. scilicet 638 circiter usque ad A. 1165. Adnotandum, non unicum fortasse esse Continuatorem Aimoini, sed geminum; primum scilicet a loco citato ad finem Libri quarti; alterum ab initio ad finem Libri quinti.*

Cortus. *Gulielmus & Andrighettus Cortusii Patavini. Scripsere Historiam de novitatibus Paduæ, ac Lombardiæ, ab A. 1256 ad 1364, ubi plura habentur de Ludovico Bavaro Imp.*

Cuspin. *Joannes Cuspinianus. Vitæ Cæsarum, & Imperatorum Romanorum, tum Occidentalium, tum Orientalium, a C. J. Cæsare ad Maximilianum II.*

Dithmar. *Dithmarus. Chronicorum Libri 7, comprehendentes res Imp. Henrici I, trium Othonum, & Henrici Secundi.*

Dodech. *Dodechinus Abbas Monasterii S. Dysibodi. Continuatio Chronicorum Mariani Scoti, ab A. 1084 ad A. 1200.*

Dubrav. *Ioannes Dubravius Olomuzensis Episcopus. Historiæ Bohemiæ Libri 33, a Gentis origine ad Ferdinandum I Imperatorem, A. scilicet C. 1527.*

Duc. *Ducas, Michaelis Ducæ nepos. Historia Byzantina, a Ioannis Palæologi temporibus ad Mehemetem II Turcarum Regem, ab A.C. scilicet 1360 ad A. 1462.*

Eginar. *Eginarthus Caroli Magni scriba. Ejusdem Caroli Vita.*

Egnat. *Io. Baptista Egnatius. Scripsit vitas Romanorum Principum Libris 3, Orientalium quidem omnium, Occidentalium verò usque ad Maximilianum I.*

Etrop. *Ioannes Etropius. Diarium expeditionis Tunetanæ a Carolo V susceptæ.*

Evagr. *Evagrius Scholasticus Epiphanensis. Ecclesiasticæ Historiæ Libri 3, a Theodosio Juniore ad annum duodecimum Imperii Mauritii.*

Euseb. *Eusebius Pamphili Cæsariensis Episcopus. Ecclesiasticæ Historiæ Lib. 9, a Christo nato ad Constantinum M. Item de vita Constantini M. Lib. 5.*

Eutrop. *Eutropius Historię Romanę Libri 10, ab Urbe condita ad mortem Joviani.*

Florus. *Lucius Anneus Florus. Rerum Romanorum Epitome, Libri 4, a Romulo Rege ad Augusti Imperium.*

Fragm.

Fragm. Hist. *Fragmentum Historicum incerti auctoris, ab A. 631 ad 1268. Legitur præfixum Chronico Alberti Argentinensis.*

Genebr. *Gilbertus Genebrandus. Chronographiæ Libri 4, ab Orbe condito ad A. C. 1584.*

Godefr. *Godefridus Monachus S. Pantaleonis apud Coloniam. Annales ab A. 1162 ad A. 1237.*

Gotofred. *Joannes Ludovicus Gotofredus. Archontologia Cosmica, sive Principatum omnium commentarii, in quibus habetur Imperatorum Occidentis Historia, a C. J. Cæsare ad Ferdinandum II.*

Glyc. *Michael Glycas Siculus. Annales partibus 4 distincti, a Mundi exordio ad obitum Alexii Comneni.*

Haym. *Nicolaus Franciscus Haym. Thesauri Britannici Pars prima, quæ Musæum Nummarium ab ipso vocatur.*

Hepidan. *Hepidanus Cœnobita S. Galli. Annales breves rerum in Alamannia gestarum, ab A. C. 708 ad A. 1180.*

Herm Contr. *Hermannus Varingensis Comitis filius in Svevia, Contractus a membrorum contractione cognomento. Chronicon, ab Orbe condito ad A. C. 1054.*

Herod. *Herodianus. Scripsit Libris 8 Res Romanas, a morte Marci Aurelii ad initium Imperii Gordiani III.*

Hist. Prof. *Historia Profana, Gallicè scripta, ad nostra usque tempora res totius Orbis complectens.*

Joel. *Joelis Chronographia compendiaria, ab Adamo ad Alexium Murtzuphlum.*

Jornand. *Jornandes Gothus. Scripsit Librum de Regnorum ac temporum successione, a Romulo Rege ad Justinum Imperatorem. Item Librum de rebus Goticis, seu de gestis Gothorum, a gentis origine ad tempora Justiniani I.*

Lamprid. *Ælius Lampridius. Scripsit vitas Commodi, Diadumediani Cæsaris, Heliogabali, & Alexandri Severi Impp. Dubitatur tamen ab aliquibus, postremam hanc vitam ipsene scripserit, an Æl. Spartianus.*

Laz. *Wolfgangus Lazius Viennensis Medicus. De gentium aliquot migrationibus, &c. L. 12, in quibus plures habentur Principum Genealogiæ.*

Leo Ost. *Leo Cardinalis Episcopus Ostiensis. Libri 3 Chronici Monasterii Cassinensis, attingentes facta Imperatorum, a Justiniano ad annum usque circiter 1086. Quartum addidit Librum Petrus Diaconus Ostiensis, qui continuat Historiam usque ad A. 1138.*

Luithpr. *Luithprandus Ticinensis Ecclesiæ Levita, & Cremonensis* Epi-

Episcopus. Historia rerum ab Europæ Imperatoribus, ac Principibus gestarum Libris 6, ab A. circiter 886. ad A. circiter 964.

Mameran. *Nicolaus Mameranus Lucemburgus. Speciale opusculum de investitura Electoralis Dignitatis Mauritii Saxoniæ Ducis a Carolo V facta. Item opus de gestis præcipuis Caroli V.*

Manaſ. *Constantinus Manasses. Compendium Chronicum, a Mundi exordio ad Nicephorum Botaniatem.*

Marian. Scot. *Marianus Scotus Monachus Fuldensis. Chronicorum Libri 3, a Mundo condito ad A. C. 1082.*

Mediob. *Mediobarbus. V. Occo.*

Melant. *Philippus Melanthon. Carionis Chronicon auxit, & exposuit, ab Octaviano Augusto ad Constantinum & Irenem.*

Montfort. *Lambertus Hortensius Montfortius. Libri 7 Historiarum de Bello Germanico; nimirum Caroli V cum Protestantibus.*

Munſter. *Sebastianus Munsterus. Cosmographiæ Universalis Libri 6, in quorum secundo habentur vitæ Imp. a C. I. Cæsare ad Theodosium juniorem; in tertio a Carolo M. ad Carolum V; in quarto Impp. Orientis, a Theodosio juniore ad Constantinum ultimum.*

Muſſat. *Albertinus Mussatus. Libri 16 de gestis Henrici VII. Item de gestis Italicorum post Henricum VII Libri 12. Tandem Vita, sed non completa, Ludovici Bavari.*

Naucl *Joannes Nauclerus Præpositus Tubingensis. Chronographia, Voluminibus 2 distincta, per Generationes 51, ab Orbe condito ad A. C. 1501.*

Niceph. Greg. *Nicephorus Gregora. Historia Byzantina, a capta per Latinos Constantinopoli A. 1203 ad Andronici junioris obitum, A. 1341.*

D. Niceph. *D. Nicephorus Constantinopolitanus Archiepiscopus. Cosmographia brevis, ab Adamo ad Michaelem & Theophilum.*

Nice. *Niceta Acominatus, seu Choniata, Logotheta. Historia Orientis, a Joanne Comneno ad A. 1204, quo mortuus est Balduinus.*

Occo. *Adolphus Occo Medicus Augustanus. Explicavit Impp. Numismata, a Pompejo Magno ad Heraclium; quod inde opus, additis iconibus, pluribusque nummis, luculenter Franciscus Com. Mediobarbus illustravit.*

Oroſ. *Paulus Orosius Presbyter Hispanus. Libri 7 Historiarum adversus gentes, a primis creati Mundi temporibus ad Theodosium juniorem.*

Ot. Friſ. *Otho Frisingensis Episcopus, Henrici IV Imp. nepos, Friderici I patruus. Chronicon, a principio Mundi ad tempora Friderici I Imp. Item Lib. 2, de gestis ejusdem Friderici, usque ad A. 1155*

Ot.

Ot. de S.Blaf. *Otho de S. Blafio. Appendix ad Chronicon Othònis Frifingenfis, ab A.* 1146 *ad* 1210.

Paterc. *C.Vellejus Paterculus. Libri* 2 *Hiftoriarum, a capta Troja ad annum* 16 *Tiberii Imperatoris.*

Patin. *Carolus Patinus Parifienfis Medicus. Defcripfit, & enarravit Imp. Rom. Numifmata, a C. J. Cæfare ad Heraclium.*

Paul. Diac. *Paulus Diaconus. Libri* 8 *de geftis Romanorum, a Valentiniano Seniore, in quo defierat Eutropius, ad Leonem tertium. Item de geftis Longobardorum Libri* 6, *a gentis origine ad Hildebrandum ipforum Regem trigefimum.*

Perfona. *Gobelinus Perfona. Cofmodromium, perductum per ætates fex, ab Orbe condito ad A. C.* 1418.

Petav. *Dionyfius Petavius. Rationarium temporum, a mundo condito ad A. C.* 1632.

Pet. App. *Petavii Appendix, ab A.* 1632 *ad noftra tempora.*

Petr. Oft. *Vide* Leo Oft.

Peucer. *Gafpar Peucerus. Auxit, & expofuit Carionis Chronicon, a Carolo Magno ad Carolum V.*

Piccolom. *Vide infr.* Sylv.

Plat. *Baptifta, feu Bartholomeus (non enim convenit inter Auctores) Platina. Vitæ Pontificum, a Beato Petro Apoftolo ad Paulum II inclufivè.*

Plut. *Plutarchus Cheronæus. Vitæ excellentium Virorum ex Græcis, ac Latinis.*

Polyd. Verg. *Polydorus Vergilius Urbinas. Anglicæ Hiftoriæ Lib.* 26, *a primis illius gentis Principibus ad Henricum VII Regem.*

Pomp. Læt. *Pomponius Lætus. Romanæ Hiftoriæ compendium, a Gordiano III ad Heraclium, paucis additis de Heraclii progenie, ufque ad Juftinum III.*

Putean. *Erycius Puteanus. Hiftoriæ Infubricæ lib.* 6, *a Gentis origine ad tempora Othonis I Imp.*

Radev. *Radevicus Canonicus Frifingenfis. Addidit duos Libros de rebus geftis Friderici Imperatoris Libris Othonis Frifingenfis, ufque ad A.* 1160. *Addita ipfi eft appendix anonymi cujufdam ufque ad A.* 1170.

Reg. *Regino Monachus Prumiẽfis. Annales a Chrifto nato ad A.* 967

Rofui. *Rofuitha Virgo e Saxonia, Monialis Cœnobii Candersheimenfis. Scripfit verfu Exametro Carminibus* 27 *Hiftoriam Imperatorum, Henrici, & Othonis I.*

Ruffin. *Ruffinus Presbyter Aquilejenfis. Ecclefiafticæ Hiftoriæ Libri* 2, *a temporibus circiter Conftantini M. ad interitum Theodofii Senioris, A. fcilicet* 395.

Sabel.

Sabel. *M. Antonius Coccius Sabellicus . Historia Veneta , ab Urbe condita ad initia principatus Augustini Barbadici , A.C. scilicet circiter* 1487.

Scylit. *Joannes Scylitza Curopalates. Excipit ubi Cedrenus desinit, & prosequitur Orientis historiam usq; ad Nicephorum Botaniatem.*

Sigeb. *Sigebertus Gemblacensis Monachus. Chronicon ab A.C.* 381. *ad A.* 1112.

Sigon. *Carolus Sigonius . Historiarum de regno Italiæ Libri* 20, *ab A. C.* 565 *ad* 1286. *Item historiarum de Occidentis Imperio Libri pariter* 20, *ab A.C.* 284 *ad* 565.

Sleid. *Joannes Sleidanus . Libri* 3 *de quatuor summis Imperiis , è quibus Romanum describitur usque ad Carolum V.*

Socrat. *Socrates Scholasticus . Historiæ Ecclesiasticæ Libri* 7, *a Constantino M. ad Theodosium Juniorem.*

Sozom. *Hermias Sozomenus Salaminius . Historiæ Ecclesiasticæ Libri* 8, *a Constantino Magno ad Arcadium & Honorium.*

Spart. *Ælius Spartianus . Vitæ Adriani , Ælii Cæsaris , Didii Juliani , Septimii Severi , Pescennii Nigri , Caracallæ , Getæ .*

Strada . *Jacobus de Strada . Thesaurus Antiquitatum ; seu Vitæ Imperatorum Occidentalium, & Orientalium , a C. J. Cæsare ad Carolum V.*

Sturc. *Christophorus Sturcius . Liber de Imperio Germanorum , a Carolo Magno ad Richardum & Alphonsum ; ad finem scilicet Interregni post Fridericum II.*

Svet. *C. Svetonius Tranquillus . Vitæ* 12 *Cæsarum , a C. J. Cæsare ad Domitianum .*

Svida. *Svida. Cæsarum vitas attingit, a C. J. Cæsare ad Theophilū.*

Sylv. *Æneas Sylvius Piccolomineus Senensis . Historia de Bohemorum origine ac gestis , a gentis primordiis ad Georgium Pogiebrachium Regem , hoc est ad A.C. circiter* 1457. *Item de his , quæ Friderico Tertio Imp. per totam Europam gesta sunt .*

Tacit. *C. Cornelius Tacitus . Annalium Libri* 16, *ab Augusti morte ad Neronem, quorum tamen nonnulli injuria temporis perierunt . Item Historiarum Libri* 5, *a Galbæ imperio ad Vespasianum , ex* 13, *quibus videtur ipse Romanam Historiam perduxisse usque ad interitum Domitiani .*

Theod. Lect. *Excerpta ex Theodori Lectoris Ecclesiasticà Historià , auctore Nicephoro Callisto Xantopuli filio , a Theodosio Jun. ad Anastasium .*

Theod. Met. *Theodorus Metochita . Scripsit Historiam Romanam , a C. I. Cæsare ad Constantinum Magnum .*

Theoph. *Theophanes . Chronographia , a Diocletiano ad Michaelem Rancabe .*

Thuan.

Thuan. *Jacobus Augustus Thuanus . Historiarum sui temporis Libri 138, ab A. C. 1543 ad A. 1607.*

Thulden. *Christianus Adolphus Thuldenus . Historia sui temporis, seu continuatio Historiarum Brachelii , ab A. 1652 ad A. 1659.*

Trebel. Pol. *Trebellius Pollio . Vitæ Valeriani patris , & filii , Gallieni patris pariter, & filii, triginta Tyrannorum, & Claudii .*

Trithen. *Joannes Trithenemius Abbas D. Jacobi Wirtzburgensis . De origine gentis Francorum compendium , ab A. ante C. 439 usque ad Carolum Calvum Imperatorem .*

Vail. *Joannes Vaillant Bellovacus . Illustravit Numismata Imperatorum , a C. J. Cæsare ad Posthumum .*

Vecer. *Conradus Vecerius . De Vita Henrici Septimi Imperatoris .*

Sext. Aur. Victor. *Sextus Aurelius Victor . Vitæ Cæsarum , ab Augusto ad Constantium . Item (aut alter hujusce nominis Auctor est , ut modò communiter creditur) de vita & moribus Imperatorum , sive Augustæ Historiæ epitome , ab Augusto ad Theodosium Seniorem .*

Volater. *Raphael Volaterranus . Antropologiæ Lib. 23, in quorum postremo habetur historia de Imperatoribus Romanis usque ad Maximilianum .*

Vopisc. *Flavius Vopiscus Syracusius . Vitæ Aureliani , Taciti , Floriani , Probi , Firmi , Proculi , Saturnini , Bonosi , Cari , Numeriani , & Carini .*

Ursperg. *Conradus a LinchtenaW Urspergensis , Abbas Præmonstratensis . Chronicum , sive Historia universalis , quæ seorsim agit de omnibus principatibus , incipiens a primo Assyriæ regno , historiamque Imperatorum prosequitur usque ad A. C. circiter 1230, annum scilicet 16 imperii Friderici II.*

Wippo . *Vita Conradi II Salici .*

Witich. *Witichindus Monachus Corbejensis Ordinis Benedictini. Annalium Libri 3, de rebus Saxonicis , attingentes Historiam Imperatorum Henrici Aucupis , & Othonis Magni .*

Vulc. Gal. *Vulcatius Gallicanus . Vita Avidii Cassii .*

Xiphil. *Joannes Xiphilinus . Epitome Dionis , ab ejusdem Libro 35 de Pompejo Magno ad Alexandrum Severum Imperatorem .*

Zonar. *Joannes Zonaras . Annalium Tomi 3, ab Orbe condito ad Alexium Comnenum Orientis Imperatorem .*

Zosim. *Zosimus . Historiæ Romanæ Libri 6, ab Augusto , breviter prius excursis superiorum temporum rebus , ad Theodosium Juniorem .*

NOI

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro Intitolato, *Series Auguſtorum, Auguſtarum, Cæſarum, & Tyrannorum omnium Auctore Laurentio Patarol, Editio altera ab eodem caſtigata, & aucta &c.* non v' eſſer cos' aluna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Recurti Stampatore, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 17. Agoſto 1722.

(
(Franceſco Soranzo Proc. Reſſor.
(Zuan Pietro Paſqualigo Reſſor.

Agoſtino Gadaldini Segret.

SERIES

SERIES
AUGUSTORUM, AUGUSTARUM, CÆSARUM, ET TYRANNORUM.

I.











CAIUS JULIUS CÆSAR, e nobili gente Julia Romana, Lucii Julii Cæsaris & Aureliæ filius, victis Pompejo, & Pompejanis partibus, actisque quinque triumphis, accepta inter alios honores Dictatura perpetua, & Imperatoris nomine assumpto, Romani Imperii principia jecit, Anno ante natum Christum 46. Princeps miræ fortitudinis in rebus bellicis, nec pacis artibus minor; eloquentissimus insuper, qui & plura disertissimè scripsit, & Fastorum celebratissimam illam correctionem edidit, qua anni tempora, suis sedibus pravo intercalationum, quæ tunc usu erant, ordine deturbata restituit. Innumera quoque bella tam in Barbaros, quàm in Cives suos feliciter profligavit. Facta in eum Romæ conspiratione, confossus est in Sena-

tu tribus & viginti vulneribus, M. Bruto & C. Cassio conjuratorum principibus, Anno ætatis 56, imperii 4. *Plut. Svet. in Cæs.*

Cossutia, ex ordine Equestri, C. J. Cæsaris prima uxor. Ab eodem repudiata est. *Svet. in Cæs. c.* 1.

Cornelia, Cinnæ quater Consulis filia, secunda uxor: Hanc mirè amavit, & mortuam laudavit pro rostris, ex eaque Juliam suscepit, uxorem Servilii Cepionis primùm, postea Cn. Pompeii Magni. *Ibid. & cap.* 21.

Pompeja, Q. Pompej filia, tertia uxor. Adulterii cum P. Clodio inter Bonæ Deæ sacra perpetrati fama laborans dimissa est. *Ibid. c.*6.

Calpurnia, L. Pisonis filia, quarta uxor. Hæc quo die Cæsar occisus est eundem hortabatur nè Curiam ingrederetur. *Ibid. c.*21, *&* 81.

Præter modo dictas uxores adamavit impensè Cæsar Cleopatram Ægypti Reginam, & Eunoem sive Eunem Bogudis Mauritaniæ Regis uxorem; exque Cleopatra filium suscepit Cæsarionem sive Cæsarium, qui interfectus est ab Augusto, consulente Ario Philosopho, non esse probandam multitudinem Cæsarum. *Ibid. c.*52, *& in Aug. c.*17. *Plut. in M. Antonio.*

Julia Senior C. J. Cæsaris soror, Accii Balbi uxor fuit. Ex hisce nata Accia mater Octaviani Augusti. *Sveton. in August. c.*4.

Post C. J. Cæsaris necem rerum summam inter se divisere Octavianus, Lepidus, & Antonius, a quibus celebris ille Triumviratus institutus, qui quatuordecim circiter annos duravit. Lepidus verò ignavus & iners nomine tenus tantum dominatu potitus est, ad privatam vitam citò redactus. Antonius autem vesano amore Cleopatræ captus, ideoque repudiata Octavia sorore Augusti conjuge sua, ejusdem collegæ hostem se professus est. Ideo inter eosdem ad arma ventum, & collata utrinque navali manu apud Actium Epiri promontorium, fugiente ex infausti exitus metu Cleopatra, fugiit ipse quoque Antonius cum eadem in Ægyptum. Anno post obsessus ipse Alexandriæ ab Augusto,

gusto, & ab omnibus relictus sibi intulit vulnus; cùmque uxor Cleopatra in sepulchrum sese recepisset, ipse intra idem funibus per fenestram attractus apud eandem expiravit. Illa verò præmetuens, nè in triumphum a victoribus duceretur, aspidem admovit brachio, cujus morsu e vivis excessit. *Appian. Bel. Civil. L.5. Flor. L.4, C.6. & 11. Paterc. L.2. Svet. in Aug. C.17.*

Alexander, M. Antonii & Cleopatræ filius. *Plut. in M. Ant.* Ipsum hìc ideò retulimus, quòd ab Antiquariis nummus eidem attribuatur, quem hìc apposuimus; solùm tamen ex conjectura & dubiè.

II.











OCTAVIANUS, Thurinus prima ætate cognominatus, ex equestri ac tandem Senatoria familia, Octavii & Acciæ filius, a C. J. Cæsare adoptatus, & Cæsar nominatus, Rempublicam universam solus obtinuit a morte Antonii, Anno ante Christum 30, & Augustus in septimo suo Consulatu dictus est, tertio postquam cœperat Anno ab Antonii morte imperare. Princeps hic

Romanæ quidem alter post J. Cæsarem eversor libertatis, virtutibus tamen, & optimè domi forisque gestis adeo laudabilis, ut inventum sit dicterium, ipsum aut nunquam nasci, aut nunquam mori debuisse. Urbem mirum in modum restauravit, & magnificis auxit ædificiis, inter quæ celebriora Pantheon, & Templum Quirini; prætereaque legibus, & institutis sapientissimis communivit. Obiit Nolæ ex profluvio ventris; dubium an ex ficubus veneno illitis; A. æt. circiter 76, imp. 44. *Tac. Ann. l.* 1: *Suet. in Aug.*

Prima Augusti uxor P. Servilii Isaurici filia fuit, ab aliquibus Servilia nominata, quam sibi tantùm despondit, sed ea non est usus. *Ibid. c,* 62.

Claudia, seu Clodia, P. Clodii & Fulviæ filia, secunda uxor. Dimissa est, orta simultate inter Augustum, & ipsius matrem; *Ibid.*

Scribonia, nupta prius duobus Consularibus, tertia uxor. Repudiata est propter morum perversitatem. Ex hac nata Julia, de qua infra. *Ibid.*

Livia Drusilla, quæ etiam Julia dicta fuit, Livii seu Julii Calidiani filia, quarta uxor, Tiberio Neroni, cui priùs nupta erat, abducta. Fœmina superba, sed miræ sagacitatis, ac prudentiæ. Obiit A. æt. 86, *Ibid. Tacit. Ann. l.* 1. Apposuimus hìc Nummum, in quo legitur *Pietas*, quod ab Antiquariorum aliquibus Liviæ attribuatur, unà cum illis, in quibus legitur *Salus*, & *Justitia*.

Octavia Augusti soror, M. Antonii primùm uxor fuit, ipsique genuit Antonias, Majorem, & Minorem; inde M. Marcelli, cui genuit duas filias, & C. Marcellum, cujus æreum Nummum singularem vulgavit eruditissimus *Spanhemius*. *Plut. in M. Ant.*

Julia Augusti & Scriboniæ filia. Nupsit priùs C. Marcello, inde M. Agrippæ, jusso Marcellam alteram conjugem suam repudiare, tandem Tiberio, de quo infra. Fuit hæc patri degener; seque superbia, levitate, ac libidinibus inquinavit. Opera Augusti relegata est primò in insulam Pandatariam, inde in Oppidum Rheginorum, quod

nunc

nunc *Reggio* in Italiæ finibus. *Svet. in Aug. c.* 36, & 65. *Tac. Ann. lib.* 1. *Paterc. l.* 2, *c.* 96.

M. Agrippa, Augusti gener fuit, ut diximus. Suscepit ex Julia Cajum, Lucium, Agrippam Posthumum, Juliam, & Agrippinam. Ex hisce Cajus, & Lucius in familiam Cæsarum ab Avo Augusto adoptati sunt, & Juventutis Principes appellati. Cajus autem obiit, perfidiosè vulneratus in colloquio ad urbem Artaxata; Lucius obiit Massiliæ, incertum morbone, an veneno Liviæ artibus dato. *Svet. in Aug. cap.* 64, & 65. *Tac. Ann. lib.* 1. *Paterc. loc. cit.* Præter Juliam & Marcellam supra relatas, inter Agrippæ uxores etiam Pompeja recensetur, aliis Pomponia.

III.















TIBERIUS, e gente Claudia Romæ nobili, Tiberii Neronis & Liviæ Drusillæ filius, ab Augusto vitrico adoptatus, imperium post eundem consecutus est anno Christi 14. Virtutum, & vitiorum penè omnium

exercitia miscuit, & professus est. Hinc enim humanitatem, modestiam, frugalitatem, liberalitatem, prudentiam affectavit; inde verò ebriositate, tyrannide, libidinibus, simulatione, ac mendacio præsertim malum Principem egit. Decessit Miseni; creditūrque a Cajo Caligula nepote suo suffocatus, A. æt.78, imp.23. *Svet. in Tib.Tac. An.L.1, & seq. Paterc.l.2.*

Vipsania Agrippina, M.Agrippæ & Marcellæ seu Pomponiæ juxta quosdam, aut Pompejæ filia, Tiberii prima uxor. Natus est ex hac Drusus Minor. Dimisit ipsam Tiberius jussu Augusti gravidam, ut Juliam sumeret, de qua jam supra. Obiit miti morte, raro exemplo in sua familia. *Tac. An.l.1, & 3.*

Drusus Minor, Tiberii & Agrippinæ filius. Obiit juvenis, seu ex vi morbi propter nimiam intemperantiam, seu veneno consumptus ex fraude Sejani. Ex uxore Livilla Germanici & Claudii Imp. sorore sumpsit Tiberium ab Imp. Caligula occisum, aliumque huic gemellum, & Juliam. *Ibid. & l.4. Svet. in Tib. c.15, 54, & 62.* Nummum æreum Tiberii hujusce admodum rarum vulgavit *Faescbius*.

Drusus Major, Tiberii frater. Rector fuit Romani exercitus in Germania, provinciamque majori ex parte domuit. Obiit collapsus equo, fractoque inde crure, A. æt.30. *Ibid. c.4, & 7.Tac.An.l.1. Paterc.l.2,c.97.*

Antonia Minor, M. Antonii & Octaviæ Majoris filia, Drusi Majoris uxor. Mulier optima, de qua fertur quòd abstemia fuerit. Obiit ex veneno, genitis Germanico, & Claudio. *Plut. in M.Ant.Tac. An.l.3.*

Germanicus, Antoniæ Minoris & Drusi Majoris filius. Omnibus tum corporis, tum animi virtutibus enituit. Obiit Antiochiæ veneno hausto, ut creditur fraude Tiberii, opera verò C Pisonis Syriæ præpositi, A. æt. 34. *Svet. in Cal. c.1, & 2. Tacit. Ann.l.1, & 2.*

Agrippina, M.Agrippæ & Juliæ filia, Germanici uxor. Genuit Caligulam, Drusum, Neronem, fæminas autem Liviam, Drusillam, & Agrippinam, quarum etiam imagines in aversa parte nonnullorum Caij Imperatoris nummorum

rum apparent. Mortuo marito, quem comitabatur per Asiam, reversa est Romam, ubi, cùm venenum e Tiberii mensa timeret, fame periit. *Svet. in Calig. c. 7. Tacit. Ann. l. 2, & 6.*

Nero, & Drusus, Germanici & Agrippinæ filii, ut dictum est. A Tiberio hostes judicati, fame consumpti sunt; Nero in insula Pontia, Drusus in ima parte Palatii. *Auctores citati.*

Druso huic L. Otho, Imperatoris Othonis pater, filiam suam nondum nubilem desponderat. *Svet. in Oth. c. 1.*

I V.



CAJUS, cognomento *Caligula* quòd in exercitu caligis militaribus uteretur, Germanici & Agrippinæ filius, adoptatus a Tiberio imperare cæpit A. 37. Optimi patris pessimus filius fuit; sævitia, libidine, insolentia, rapinis, impudentia, impietate contaminatissimus. Literatis videtur aliqualiter favisse, cùm Latinæ Græcæque linguæ Lugduni certamen instituerit. Ex tot vitiis exosus omnibus, trucidatus est Romæ 30. vulneribus a Cassio Cherea, aliisque conjuratis, A. æt. 29, imp. 4. *Svet. in Calig.*

Junia Claudia, seu Claudilla, M. Syllani filia, Caligulæ prima uxor nondum Imperatoris. Obiit ex partu, *Tac. An. lib. 6.*

Livia Horestilla, secunda uxor. Hanc desponsatam C. Pisoni ipse sibi e convivio rapuit; sed brevi repudiavit, & relegavit. *Svet. in Calig. c. 25.* Cornelia Orestina appellatur a *Xiphilino.*

Lollia Paulina, M. Lollii filia, tertia uxor. Hanc

quoque per vim sumsit, coacto C. Memmio ejusdem marito eam sibi despondere; brevi autem ipsam pariter repudiavit. *Svet. c.* 25.

Cæsonia, Orphiti & Vestiliæ filia, luxuriæ & lasciviæ perditissimæ fœmina, quarta uxor. Occiso marito, cui etiam amatorium medicamentum propinaverat, quo in furorem ageretur, ipsa quoque a Centurione transfixa est, & filia utriusque Julia Drusilla parietibus illisa. *Ibid. & c.* 59.

V.







TIBERIUS CLAUDIUS, Drusi Majoris & Antoniæ Minoris filius, Germanici frater, in Palatii angulo inventus a Prætorianis, dum post Caligulæ mortem alii de Imperatore eligendo, alii de restituenda Republica disputarent, raptus est & Imperator acclamatus, cum promisisset iisdem singulis quina dena sestertia, A. 41. Principio in bonum vergere videbatur. Plures optimas sanctiones tulit, multaque opera publica extruxit, ut Portum Hostiensem ad importandum frumentum; Aquæductus per quadraginta milliaria, & alia. Lacum Fucinum derivavit, operantibus per undecim annos triginta millibus hominum. Inde verò in malum mutatus est; nam & luxuriæ perditæ, & sævæ crudelitatis fuit; appetentior præterea ludendi, timidus, diffidens, & semistolidus. Britanniam tumultuantem ingressus est, & sine prælio intra sex menses composuit, præclarumque inde triumphum egit. Periit sumpto in boletis veneno, conscia uxore Agrippina, A. æt. 64, imp. 14. *Svet. in Clau. Tac. Ann. lib.* 11, *&* 12.

Æmi-

Æmilia Lepida, Augusti proneptis, Claudii adolescentis prima uxor. Intacta repudiata est; seque postea ipsam occidit. *Svet. in Claud. c.* 26. *Tac. Ann. lib.* 6.

Livia Medullina Camilla, e Dictatoris Camilli genere, secunda uxor. Obiit die nuptiis destinato. *Svet. loc. cit.*

Plautia Urgulanilla, aliis Herculanilla dicta, tertia uxor. Genuit Drusum Pompejum, & Claudiam. Dimissa est propter libidinum probra, & homicidii suspicionem. *Ibid. & cap.* 27.

Ælia Petina, Viri consularis filia, quarta uxor. Genuit Antoniam; repudiata inde est autem ob leves offensas. *Ibid. & c.* 26.

Valeria Messalina, Barbati Messalæ consobrini sui filia, quinta uxor. Hanc Claudius, cùm comperisset super cætera flagitia C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit. Genuit Octaviam, & Britannicum. *Ibid. Tac. Ann. lib.* 11.

Britannicus, ut modò dictum, Claudii e Messalina filius. Germanicus primò dicebatur. Sublatus est per venenum a Nerone Imperatore, æmulatione vocis, & metu ne sibi raperet imperium. *Svet. in Claud. c.* 27, *& in Ner. cap.* 33.

Julia Agrippina, Agrippinæ alterius Germanici filia, Claudii neptis, sexta ejusdem uxor. Desponsata priùs fuerat Passieno Crispo, inde Cneo Domitio Ænobarbo Neronis patri; postea in Caji fratris fœdissimo contubernio vixerat. Fæmina regnandi avidissima, & libidinibus infamis. Interempta est filii Neronis jussu. *Svet. in Claud. c.* 26. *Tac. Ann. l.* 4. 12. *&* 14.

Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ Legatus, civile bellum in Claudium movit; quinto tamen post arreptum imperium die oppressus est, legionibus in pœnitentiam religione conversis, postquam denuntiato ad novum Imp. itinere, signa moveri non potuerunt. *Svet. in Clau. cap.* 13.

VI.

VI.







CLAUDIUS DOMITIUS NERO, Cnei Domitii Ænobarbi & Agrippinæ filius, a militibus, quibus idem promiserat ac Claudius, ad imperium evectus est A. 54. Primo ejusdem quadriennio optimus fuit, reliquo tempore pessimus: cùm nullum fuerit vitium, quo se se non fœdaverit. Bellum Britannicum infeliciter gessit; feliciter verò Parthicum per Domitium Corbulonem: & Judaicum per Vespasianum. Propter scelerum multitudinem a Senatu hostis judicatus est, contraque ipsum acclamatus in Hispania Sergius Galba. Accepto nuncio, se requiri ut puniatur more majorum, & adventare milites ad id missos, pugionem jugulo adegit, adjuvante Epaphrodito a libellis extra portam Viminalem, jacens in scrobe, quam ad corporis sui modulum parari sibi subitò jusserat, A. æt. 32, imp. 14. *Tac. Ann. Lib.* 12, *& seq. Svet. in Ner.*

Octavia, Claudii Imperatoris & Messalinæ filia, Neronis prima uxor. Hanc citò aspernatus dimisit, relegavit, & tandem sub adulterii prætextu jussit occidi. *Ibid. C.* 7, *&* 35. *Tac. Ann. L.* 12, *&c.*

Poppea Sabina, Titii Ollii viri Quæstorii filia, Rufo Crispo seu Crispino equiti priùs, deinde & Othoni, qui postea Imperator, desponsata, secunda uxor, qua ipse tamen antea pro concubina usus fuerat. Occisa est ab eodem ictu calcis, cùm esset gravida, quòd serò ab aurigatione reversum conviciis incesserat. Genuit Claudiam, quæ intra quartum mensem defuncta est. *Tac. Ann. Lib.* 13, *& Svet. in Ner. cap.* 7.

Sta-

Statilia Messalina, Attico Vestino priùs nupta, tertia uxor. *Suet. loc. cit. Tac. Ann. l.* 15.

Cajus Julius Vindex, natione Gallus, genere nobilissimus, coacta valida Gallorum manu adversus Neronem nova molitus est; sed cum principatum parare sibi non studeret, Galbæ detulit Imperium. Adversus eum missus est Rufus, qui Germaniæ præerat; factoque militum utrinque concursu absque Ducum jussu, ipse sibi manus intulit. *Xiphil. in Ner.*

VII.





SERGIUS SULPICIUS GALBA, Romanus, è nobilissima Sulpiciorum familia, patre Servio Sulpicio, matre Mummia Achaja genitus, a militibus acclamatus est Imperator in Hispania contra Neronem, A. 68. Sævitiæ, atque avaritiæ fama laborare dicebatur, ex quarum suspicione, cùm sibi odium etiam ex nimia libertis concessa licentia comparasset, a Prætorianis Othoni faventibus trucidatus est Romæ in Foro; caputque ipsius ad eundem Othonem in castra missum. Obiit A. æt. 73, imp. Mense 7. *Tac. Hist. lib.* 1. *Suet. in Gal.*

Lepida Galbæ uxor. Ex hac suscepit ipse duos liberos; eaque mortua cælibatum constantissimè servavit. *Ibid. C.* 5.

Piso Frugi Licinianus, M. Crassi & Scriboniæ filius, juvenis optima donatus indole, a Galba pro concione adoptatus est, & Imperii hæres declaratus. Sexto post die, a Galbæ verò nece non multùm in templi Deæ Vestæ foribus confossus est, Anno æt. 31, electionis in Cæsarem die quarto. *Tacit. Hist. l.* 1. *Suet. c.* 17.

Verania Pisonis uxor quæ ipsius corpus ab Othone sepul-

pultutæ, concessum cremarique permissum, composuisse traditur. *Tac. Hist. lib.* 1.

Clodius Macer, Africæ Proprætor sub Nerone, ipso mortuo ad imperium aspiravit. Eodem tempore & Nymphidius Sabinus Romæ, & Fontejus Capito in Germania dominatum aucupabantur. Ipse a Trebonio Garuciano Galbæ procuratore sublatus est; cæterique etiam oppressi. *Tac. Hist. lib.* 1.

VIII.



MARCUS SALVIUS OTHO, Lucii Othonis & Albiæ Terentiæ filius, familia nobili ex Hetruriæ oppido Ferentino, ægrè ferens prælatum sibi adoptione Pisonem a Galba, militum sibi conciliavit animos, ab iisque deductus in castra, Imperator est salutatus A. 69. Vir munditiarum penè muliebrium, suique corporis immodicè studiosus. Audita Vitellii in Imperatorem acclamatione, auctor Senatui fuit mittendæ legationis, quæ doceret, electum jam Principem, concordiamque suaderet; se ipsum prętcrea per internuncios imperii consortem, generumque offerens Vitellio. Sed, cùm hujus copię nimis appropinquarent, ad arma ventum est, terque Otho per duces vicit; nimirum apud Alpes, circa Placentiam, & ad Ædem Castoris. Novissimo autem pręlio apud Bebriacum Cremonensium oppidum a Vitellianis fraude victus, tędio inde civilis belli, & ne sibi tanto civium sanguine ac periculo imperium tueretur, pugione se transfixit, A. æt. 37, juxta alios 38; imp. die 95, maximo cum dolore militum, quorum multi sibi vim intulere, & ad internecionem invicem concurrere. *Tac. Hist. l.* 1. & 2. *Svet. in Ot.*

Pop-

Poppęa Sabina, Othonis ante imperium uxor, ut supra in Nerone dictum.

I X.



AULUS VITELLIUS, Lucii Vitellii filius & Sextilię probatę mulieris, quam & Augustę nomine juxta Tacitum honoravit, Romano genere nobilissimus, a Germanico exercitu prope Coloniam salutatus est Imperator, vivente adhuc Galba. Enormis proceritatis fuit, & immodicę gulę, crudelis pręterea, & vanus; seque talem in itinere pręcipuè prębuit e Galliis Romam versùs, quod triumphantium more per civitates omnes confecit. Deficientibus ad Vespasianum legionibus Mæsiarum, & Pannonię, item Judęę, ac Syrię, tractus est in Forum religatis post terga manibus, & injecto cervicibus laqueo; tandemque apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus est, inde unco raptus, & projectus in Tyberim, A. ęt. 57, imp. mense 10. circiter. *Svet. in Vit. Tac. Hist. lib.* 1, 2, & 3.

Petronilla, Consularis viri filia, Vitellii prima uxor. Genuit Petronianum altero captum oculo, qui a militibus unà cum Patre interfectus est, & filiam, quam Vespasianus Imp. splendidissimè maritavit. *Svet. in Vit. c.* 6, *in Vesp. c.* 14. *Tacit. Hist. lib.* 2.

Galeria Fundana, Pretorio patre nata, secunda uxor. Ex hac nati sunt utriusque sexus liberi, inter quos masculus titubantia oris prope mutus, & elinguis. *Svet. c.* 6.

X.

X.





FLAVIUS VESPASIANUS, e Gente Flavia obscura potiùs ex oppido Reatino, Titi Flavii Sabini & Vespasiæ Polæ filius, ab exercitu Syriaco, cujus erat rector, Imperator dictus est, dum Otho, & Vitellius de imperio decertarent, A. 69. Fuit miræ sobrietatis, urbanitatis, moderationis, & effusi in literas studii; avaritiæ tamen labe notatus. Judæam omnem, præter Jerosolymam, & unum aut alterum oppidum, subegit. Obiit stans, inter manus sublevantium, e profluvio ventris in Campania, Ann. æt. 69, imp. 10. *Tac. hist. lib. 2, & seqq. Suet. in Vesp.*

Flavia Domitilla, seu Domicilla, Statilii Capellæ Romani Equitis filia, Vespasiani uxor. Genuit Titum, Domitianum, & Domitillam. *Ibid. cap. 3.*

Julius Sabinus, principatum gerens in Lingonibus, separatim magnum exercitum comparavit, ac Cæsar appellari voluit, quòd se Julio Cæsare prognatum diceret. A Cereale multis præliis victus est; post quæ in sepulchrum, quod ruri habebat ingressus, ibi novem annos delituit, credentibus interim omnibus ipsum mortuum. Inde autem egressus, Romam cum uxore ac liberis abductus, ibidem Vespasiani jussu occisus est. *Xiphil. in Vespas.*

Peponilla, seu Epponina Julii Sabini uxor. Marito duos filios peperit, cumque ipso Romæ interfecta est. *Idem. & Tacit. hist. l. 4.*

Ipse hic Auctor mentionem ibidem facit & Sabini Galli, *qui se Cæsarem esse dixerat*, ac de ipso ea ferè profert, quæ priùs de Sabino Juliano retulerat. In mentem nobis

vene-

venerat, suspicari an Julius ille Sabinus sit Julius Vindex, de cujus defectione plura habentur apud *Tacitum, Histor. lib.* 4, & 5. posterior hic autem, sive Sabinus Gallus, sive Julius Sabinus appelletur, is verè sit, de quo supra jam relata a *Xiphil.* aliisque Auctoribus traduntur.

X I.





TITUS VESPASIANUS patri successit in imperio A. 79, ipsumque optimè administravit. Fuit enim affabilis, clemens, liberalis, omniumque ferè virtutum professione adeo clarus, ut *humani generis deliciæ* nuncuparetur. Bellum Judaicum a Patre jam susceptum, capta Urbe Jerosolyma, consummavit. Obiit in eadem villa, in qua pater, seu ex febri, seu ex veneno, nam variè traditur, A. æt. 41, imp. 2. *Svet. in Tito.*

Arricidia Tertulla, Tertulli Romani Equitis filia, Titi prima uxor. *ibid. C.* 4.

Martia Furnilla, aliquibus Fulvia dicta, splendido genere orta, secunda uxor. Suscepta filia divortium fecit. *ibid.*

Julia, Titi & Martiæ Furnillæ filia. Nupsit priùs F. Sabino; inde a patruo suo Domitiano corrupta est, & ardenter palamque amata. *Ibid. & in Domit. C.* 2.

Numisma Græcum Smyrneum, in quo juvenile caput cernitur cum epigraphe *Vespasianus Neoteros*, hoc est *Junior*, a P. Harduino primùm vulgatum, ad Titum referri posse conjectavi *epist.* ad præstantissimum Senatorem Venetum *Jo: Dominicum Theupolum* simile Numisma possidentem. Vir eruditus *Haym* Nummum ipsum, quem ex Musæo *Com. de Pembroch* profert, alteri ex filiis Fl.

Cle-

Clementis Vespasiani Imp. nepotis adjudicat, quem Domitianus Vespasianum nuncupari voluit, ex *Suet. in Dom. cap.* 15. Hoc innuere libuit, ne quid a nobis relinquatur, quo erudiendorum curiositati satisfiat. Cujus autem revera Numisma sit, judicent Antiquarii, sciantque non eum mihi animum esse, ut sententias meas, quęcunque illę sint, adversùs viros doctos mordicus tueri velim. Nec erudito viro supra laudato succensere mens est, quamvis ipse de me *Mus. Brit. T. altero* minus ęqua verba fecerit.

XII.





FLAVIUS DOMITIANUS, a fratre successor imperii designatus, eodem mortuo confirmatus est, A. 81. Primis imperii mensibus morum suorum reformationi studere videbatur, & miscere vitiis virtutes; mox vero vitiorum omnium, sęvitię pręsertim, & rapacitatis experimenta plurima & maxima edidit. Expeditiones non semel suscepit; adversus Dalmatas, Cattos, & Dacos, a quorum Rege Decebalo annuo tributo pacem emit. Licèt autem victo similis reverti coactus fuerit, triumphavit tamen, & Germanici, ac Dacici cognomen assumpsit. Trucidatus est in cubiculo suo, facta libertorum & amicorum conspiratione, principe Stephano, consciaque uxore Domitia, A. ӕt. 45, imp. 15. *Suet. in Domit.*

Domitia Longina, Domitii Corbulonis filia, Domitiani uxor, quam ipse priori marito L. Ælio Lamię rapuit. Unicum genuit filium, qui obiit infantulus, & consecratus est. Mox, cùm arderet amore Paridis, est repudiata; sed intra breve tempus resumpta, conjuge impatiente dissidii. *Ibid. cap.* 1, & 3.

Anto-

Antonius, Germaniam superiorem curans, imperium contra Domitianum arripuit. A Norbano Appio, sive juxta alios a Lucio Maximo victus est, & sublatus. *Xiphil. Sext. Aur. Vict. in Domit.*

XIII.



NERVA COCCEJUS, nobili genere ex oppido Narniensi natus, ab interfectoribus Domitiani Imperator salutatus est, A. 96. Princeps omnino laudabilis, & pacis artibus insignis. Cum vero propter senium fere despiceretur, Trajanum adoptavit. Obiit stomachi dolore correptus, A. æt. juxta plerosque 65, imp. 1 cum dimidio circiter. *Xiphil. in Nerva. Sex. Aur. Vict.*

Uxorem Nervæ fuisse, ex eaque genitum filium Calpurnium ex Historicis colligi posse *Tristano* visum, sed *nullo idoneo fundamento*, ut habet eruditissimus *Spanhemius de Præst. & usu Numism.* qui super hoc legi meretur.

X I V.



NERVA TRAJANUS ULPIUS, ex urbe Hispaniæ Italica, nunc vulgò *Siviglia* nobis, Nervam, a quo fuerat adoptatus, excepit, A. 98. Imperium tanta virtutum omnium professione administravit, ut inde Optimi cognomen obtinuerit. Germanos repressit, Dacosque non semel vicit; contra quos, ut commodiùs bellum gerere posset, celebrem illum Danubii pontem extruxit. Armenos quoque, Parthos, Judæos, aliosque populos profligavit; indeque Germanicus, Parthicus, Dacicus nominatus est, ut patet ex Nummis. In Italiam ex Asia dum reverti parat, obiit apud Selinuntem Ciliciæ, quæ urbs ad eodem Trajanopolis postea dicta est, A. æt. 64, imp. 19, cum dimidio. *Xiphil. in Trajan.*

Plotina, Trajani uxor, optima Imperatrix. *Ibid. Sex. Aur. Vict. in Constantio* vocat ipsam Pompeam Plotinam.

Marciana, Trajani soror, spectatæ moderationis matrona. Constat ejus nomen ex Arcu triumphali Anconitano, testibus Occone, aliisque Antiquariis, nec non ex quibusdam Numismatibus argenteis apud eosdem.

Ma-

Matidia Marcianæ filia, Mater Sabinæ, de qua infra. *Spart. in Hadr.* Altera item Matidia in filiam ipsi adjudicatur, cujus nomen docere primum cæpit *M. Velserus*, *Not. ad monum. August.* ex antiqua Inscriptione, quæ videri poteſt etiam apud *Reineſium* Syntag. Cl. III. n. XIIX, ſimul cum aliis Capuana, & Sueſſana, a quibus idem innui videtur.

X V.



ÆLIUS HADRIANUS, Ælii Hadriani & Domitiæ Paulinæ filius, gente Hiſpanus, Romę tamen natus, ſive juxta quoſdam in agro Piceno, Plotinæ opera Trajani mentitus adoptionem, imperium aſſecutus eſt A. 117, exque Aſia reverſus, Trajani, quem comitatus fuerat, cineres urna aurea clauſas triumphali curru Romam invexit. Imperator humanitate, memoria, ingenio præſtantiſſimus, amore ac ſtudio erga Rempublicam incomparabilis; non tamen ſine aliquo vitio, utpote truculentia quandoque, ac invidia. Judæos tumultuantes repreſſit; urbemque Jeroſolymam Æliam Capitolinam nominavit. Provincias penè omnes Imperii incredibili laborum tolerantia peragravit; murumque celebrem

in Britannia miræ longitudinis perduxit. Obiit ex hydrope apud Bajas, A. æt. 62, imp. 21. *Xiphil. Spart. in Hadr.*

Sabina, Matidiæ filia (non desunt tamen qui sororem dicant) Hadriani uxor. Cum hac sæpius ipse divortium facere cogitavit, quod esset sterilis. Inde vero in suspicionem adulterii cum Svetonio lapsam servilibus penè injuriis affectam ad mortem compulit voluntariam. *Spart. ibidem. Sex. Aur. Vict.*

Cejonius Commodus Verus, Ælius postea Verus dictus, nobili familia ortus ex Hetruria, Annii Veri filius, ab Hadriano Cæsar est factus, & in successorem suum adoptatus. Vir honestis moribus, sed valetudine admodum infirma. Obiit per somnum post epotum pharmacum, nondum anno adoptionis expleto. *Spart. in Æl. Vero.*

Domitia Lucilla, Nigrini filia, L. Cejonii Commodi Veri uxor. Genuit L. Verum postea Imperatorem. *Ibid.* Sunt qui Nummos aliquot *Lucillæ Augustæ* nomen præferentes huic Lucillæ attribuant, nostra sententia tamen minùs recte; cum omnes Lucii Veri uxoris esse certius sit.

Antinous, e Claudiopoli Bithyniæ urbe, juvenis Hadriano carissimus. Dum Nilum cum Imperatore navigaret, navi excidit, & submersus est, summo cum ejusdem mærore, qui ipsum Statua, Templo, Ludis honoravit. *Sex. Aur. Vict. Spart. Xiphil. in Hadr.*

XVI.







ANTONINUS PIUS, qui & Titus Aurelius Fulvius Bojonius dicebatur, Titi Aurelii Fulvii & Arriæ Fadillæ filius, paternum genus trahens e Nemauso, Hadriano a quo fuerat adoptatus successit, A. 138.

138. Princeps, tum moribus tum optimis artibus præclarissimus, mira præcipuè pietate, tam in Rempublicam, quàm in Cives; unde & Pii cognomentum obtinuit. Paci, quàm bellis addictior domi consedit; bellaque in Britannos, Mauros, Germanos, Dacos, Judæos, Græcos, Alanos per Legatos feliciter administravit. Obiit Princeps omnibus amatus apud Lorios, 12 milliaribus ab Urbe, morte suavissima, veluti per somnum, A. æt. 72, imp. 23. *Jul. Capitol. in Anton. Sex. Aur. Vict. Epit.*

Faustina, Annii Veri filia, Ælii Cæsaris soror, Antonini uxor; Fæmina malæ famæ. Obiit anno tertio imperii ejusdem Antonini. *Ibid.*

Marcus Annius Galerius Antoninus, Nummorum ope unus e duobus Antonini filiis, quorum mentio fit apud Historicos, esse creditur, qui infans admodum obierit. Duas præterea filias Antoninus suscepit, quarum una Faustina junior, M. Aurelii Imp. conjux. *Ibid.*

XVII.



MARCUS AURELIUS ANTONINUS, Annii Veri & Domitiæ Calvillæ filius, ab Antonino jussu Hadriani adoptatus, eidem suffectus est, A. 161. Collegam sibi statim ex jussu ejusdem adscivit Lucium Verum. Honestate vitę Imperatores omnes ferè super-

gressus est; studiisque supra modum addictus fuit, inter cætera Philosophiæ, quare *Philosophus* est dictus. Parthos, Britannos, Cattos, Marcomannos vicit, adversus quos præcipuè bellaturus, cum defecisset ærarium, ornamentorum imperialium auctionem in Foro Trajani fecit, vendiditque omnia, tum Palatii, tum suimet ipsius mobilia, ne extra ordinem quidquam a Provinciis exigeret. Obiit apud Vendobonam, quę nunc *Vienna*: A. æt. 59, imp. 19. *Capitol. in Anton. Phil.*

Faustina Junior, Antonini Pii & Senioris Faustinæ filia, M. Aurelii uxor. Fœmina adulteriis infamis; quæ maritus tamen dissimulavit semper. Obiit ex podagra in vico Hahale ad radices montis Tauri, genitis liberis, ut infra. *Ibidem.*

Annius Verus, M. Aurelii & Faustinę filius. Obiit septennis, execto sub aure tubere. Nati sunt Aurelio alii quoque filii, e quibus nominantur Commodus Imp. Lucilla L. Vero in uxorem data, & Fadilla. *Ibidem. Herod. libr.* 1.

LUCIUS VERUS, Ælii Cęsaris filius, a M. Aurelio, ut diximus, adoptatus est, & cum eodem imperavit: Princeps luxurię deditus, flavęque suę comę cultor studiosissimus. A M. Aurelio ad bellum Parthicum missus, illud idem ipse per Legatos gessit, deliciis Asię nimium captus. Obiit apoplexia correptus in expeditione contra Germanos, dum in lectica gestaretur, inter Altinum & Concordiam, A. æt. 42, imp. 11. *Capitol. in Vero.*

Lucilla, M. Aurelii & Faustinæ filia, L. Veri uxor, quo mortuo nupsit Pompejano. Fœmina impudica, a fratre Commodo in exilium missa est, inde occisa. *Ibid.*

Avidius Cassius, ex antiqua Cassiorum familia (sunt qui tradant ipsum genere Cyprium) M. Aurelio in expeditione Germanica occupato, in Oriente rebellavit, seque Imperatorem jussit appellari. Vir, tum vitiis, tum virtutibus, illa etenim istis miscuit, non mediocris; milita-

ris

ris disciplinæ tenacissimus. Dum movit contra Aurelium interfectus est, facta omnium fere conspiratione, post tres menses, exceptis Antiochensibus, Imperatore ipsius mortem ægrè ferente, cum eidem parere statuisset. Filios habuit & filias: Omnes autem Commodus Imperator comburi jussit. *Vulc. Gal. in Avid. Cas. Xipbil. in M. Anton.*

XVIII.





LUCIUS AURELIUS COMMODUS, M. Aurelii & Faustinæ filius, patri successit, A. 180. Princeps obscænitatibus, scurrilitate, aliisque vitiis inquinatissimus. Per Legatos vicit Britannos, & Parthos; sibique statim Parthici cognomen usurpavit. Cum nomina quorundam occidendorum in libello scripsisset, hicque in Marciæ Concubinæ manus devenisset, ipsa, re detecta iis qui scripti fuerant, necem cum iisdem viro paravit. Primò eidem venenum vino odoratissimo mixtum propinatum est, sed magna ex parte per vomitum illud ipse rejecit; quare jussus ad ipsum ingredi Narcissus validissimus Palæstrita, eundem suffocavit, A. æt. 32, imp. 13. *Lamprid. in Com. Herod. lib. 1.*

Crispina, Bruttii Præsentis consularis viri filia, aliquibus in Nummis Græcis Bruttia appellata, Commodi uxor. Propter adulterium relegata est mariti jussu in insulam Capream, ibique strangulata. *Ibidem.*

XIX.



PUBLIUS HELVIUS, *Pertinax* cognominatus ab ingenii pertinacia in omnibus propositis, vel juxta alios a pertinacia patris ejus in exercenda negotiatione lignaria, Helvii Successi Africani viri filius, juxta Apenninum in villa Martis ortus, ab interfectoribus Commodi Imperator renunciatus est, quamvis invitus, A. 193. Homo verè antiquis moribus, & summa præditus gravitate. Prætorianorum, & Aulicorum licentiam severè coercens, ipsorum odia in se convertit; quare ab iisdem, duce Læto, qui ipsi auctor fuerat imperii, trucidatus est summo cum populi senatusque dolore, A. ætat. 71 circiter, imp. mense 3. *Capitol. in Pert. Herod. lib. 2. Eutrop. lib. 8.*

Flavia Titiana, Pertinacis uxor. Genuit Helviam, & Pertinacem, quem Senatus Cæsarem appellavit. *Capitol. ibidem.*

XX.

X X.



MARCUS DIDIUS SEVERUS JULIANUS, natione Mediolanensis, Petronii Didii Severi & Claræ Æmiliæ filius, imperium a Prætorianis, magna vi pecuniæ pollicita, nundinatus, curiamque cum armis ingressus, a Senatu quoque jam trementi confirmatus est, A. 193. Crapulæ deliciisque deditus, & sponsionis factæ militibus immemor, in eorundem odium statim incidit: Acclamatoque interim Pescennio Nigro primum, postea Septimio Severo, qui Urbi jam armatus imminebat, a Senatu capitis damnatus est, dataque cuidam gregario cura, qui obtruncavit eundem in Palatio, A. æt. 57, imp. mense 7. *Herod. lib. 2. Spart. in Did. Jul. Eutr. lib. 8.*

Mallia, sive Manlia Scantilla, mulier deformissima, Juliani uxor. *Ibidem.*

Didia Clara, Juliani & Malliæ Scantillæ filia. Nupsit Cornelio Repentino. *Ibidem.*

Cajus Pescennius, *Niger* dictus a cervice valde nigra, Annii Fusci & Lampridiæ filius, ex equestri ordine, cum post consulatum Romæ gestum Syriæ præesset, acclamatus est Romæ a populo Imperator contra Didium Julianum, statimque & ab exercitu Syriaco est salutatus. Vir

in

in multis magnisque rebus versatus, fama etiam præditus mansuetudinis, & dexteritatis. Commissa cum Septimio Severo pugna, victus tandem fugit, Antiochiamque se recepit: Ibi, dum se occultare studet, a Septimii militibus inventus, occisus est, A. æt. 58, imperio vix degustato. Habuit uxorem, & filios, quorum tamen nomina non traduntur. *Herod. lib.* 2. *Spart. in Pescen.*

Decimus Clodius Septimius, Albinus cognomento quod ex matris utero prodierit candidissimus, cum Britannicis, & Germanicis exercitibus præesset, imperium affectabat. Ipsum igitur suspectum habens Septimius Severus, contra Pescennium cum moveret, ut sibi conciliaret, Cæsarem nominavit. Cum autem & Augusti nomen aucuparetur, Severus sibi ab eodem timens, quod etiam, cum esset genere clarus, & bonæ indolis, Populi Romani amore gaudere videbatur, contra eundem movit. Præliatum apud Lugdunum in Gallia, & Albinus post varios casus victus est; ipsiusque caput amputatum ad Severum delatum, qui misit illud Romam, futurum victoriæ suæ testem, & Albini asseclis exemplum. Obiit homo voracissimus, voluptuosusque, voce insuper muliebri notatus, A. Christi 197, aut secundum alios 198. *Capitol. in Alb. Herod. lib.* 2, & 3.

Pescennia Plautiana, Albini uxor. Genuit Didium Clodium Albinum, & Pescennium Prinæum, qui Severi jussu unà cum matre necati sunt. *Capitol. in Alb. & Sev.*

XXI.

X X I.





SEPTIMIUS SEVERUS, *Pertinax* cognomine, quod ſtatim a ſumpto imperio in Pertinacis honorem aſſumpſit, Marci Getæ & Fulviæ Piæ filius, genere Afer, cum Didius Julianus male probaretur in imperio, acclamatus eſt a Germanicis legionibus prope Carnutum, A. 193. Princeps liberalis, bellicoſus, & literatus. Pantheon Romę reſtituit. Vicit, ut diximus, Peſcennium, & Albinum. Domuit Parthos, & Adjabenos; quare de iiſdem victis cognomen reportavit. Britannos quoque ſubegit, & vallum per mediam inſulam per 130. milliaria perduxit. Obiit Eboraci in Anglia, ſtomachi cruditate ex plurimo eſu oppreſſus, A. ęt. 66, imp. 18. *Spart. in Sev. Herod. lib.* 2, & 3.

Marcia, Septimii Severi prima uxor. Ex hac juxta quoſdam natus Caracalla, quibus tamen non aſſentimur. *Spar. in Sev.*

Julia ex Emeſa, ſeu Emeſſa, & Emiſa Phęnicię urbe, in Nummis cognominata *Pia, Felix, Domna*, ſecunda uxor. Genuit Getam, Caracallam juxta meliorem opinionem, duaſque filias. Fœmina impudica, quę ſe ſe etiam inceſtu cum Caracalla fœdavit. Audita ejuſdem nece, mortem ipſa ſibi intulit Antiochię. *Spart. in Sev. Herod. lib.* 4.

XXII.

XXII.







MARCUS AURELIUS BASSIANUS ANTONINUS, *Caracalla* dictus a quodam vestis genere ad talos usque demissæ, quam militibus dedit, & populo, Severi Juliæque filius, Patrem excepit Ann. 211. In pueritia optimæ indolis fuit, sed mox in pessimum mutatus, rapax, crudelis, & immanis factus est. Ob perpetuum cum fratre dissidium, diviso imperio per matrem, Europam & Meridionales provincias obtinuit; sed consortis impatiens eundem interfecit. Suscepta expeditione adversus Parthos, occisus est a Centurione Martiali prope Carras, dum levando ventri operam daret, A. æt. 29, imp. 7. *Spart. in Carac. Herod. lib.* 4.

Plautilla, Plautiani Consulis opulentissimi filia, Caracallæ uxor. Huic pater pro dote tantum dedisse fertur, quantum quinquaginta Reginis satis fuisset. Relegata fuit jussu mariti in Siciliam, ibique occisa. *Spart. in Sev. Xiphil. in Caracal. Herodian. lib.* 3. Ex veteribus ab ipsa nullam prolem editam facile videre est; nam puerulus cum ipsa relegatus, Plautus nomine, frater ipsius, non filius, fuisse colligitur ex Græco Herodiani textu. Ex recentioribus autem aliqui filium eidem, alii filiam attribuunt; at quo auctore ignoratur.

SEPTIMIUS ANTONINUS GETA, Lucius, & Publius prænomine, Caracallæ frater, ejusdem, ut diximus, in Imperio consors Orientales Provincias sortitus est. Fuit gulosus, & moribus quidem asperis, non tamen omnino damnandis; studiisque etiam non mediocriter

in-

indulsit. Occisus est a fratre in matris gremio, A. æt. 22, seu 25 secundum nonnullos; imperii mense undecimo. *Spart. in Geta.*

XXIII.





MARCUS SEVERUS OPELIUS MACRINUS, vili genere ortus ex Mauritania, sublato Caracalla sua præcipuè fraude sed admodum occulta, Imperator factus est a militibus in Asia, A. 217. Princeps legum peritus, & justus, militaris quoque disciplinæ servator acerrimus; aliquantulum verò crudelis, & voluptuosus. Cum Parthis ancipiti eventu pugnavit; ab eorumque Rege Artabane pacem tandem emit. Quocirca despectus militibus, quos etiam Heliogabali avia Julia Mæsa corruperat, interfectus est in Bithynia, A. æt. 54, imp. 2 inchoato. *Herod. l. 4. & 5. Capit. in Macr.*

Nonia, seu Numia Celsa, Macrini uxor. Genuit Diadumenum. *Lamprid. in Diadum.*

Marcus Aurelius Antoninus Diadumenus, seu Diadumenianus, sic appellatus quod ex utero prodiens diadema quoddam veluti pileolum extulerit, Macrini & Noniæ Celsæ filius. A Patre Cæsar dictus post eundem statim est obtruncatus, A. æt. 16, aut 12 juxta alios. *Ibid. Herod. l.*

XXIV.













MARCUS AURELIUS ANTONINUS BASSIANUS, *Varius* dictus, vel ab avia materna Julia Mæsa, quæ & Varia dicebatur, vel quod vario de semine, nempe meretricio, conceptus fuerit, artibus ejusdem aviæ Imperator acclamatus est ab exercitu in Asia, A. 218. A quibusdam dicitur Caracallæ ex Julia matre filius; ab aliis, quibus libentiùs assentimur, Caracallæ filius quidem, sed ex Sæmiade concubina. Dictus est etiam *Heliogabalos* quod Solis esset sacerdos, sive *Elagabalus*, ut legitur apud alios, a *Dione* etiam *Avitus*, & *Pseudoantoninus*, & *Sardanapalus*. Imperium pessimè administravit, per crudelitatem, libidinem, summamque negligentiam. Occisus est in latrina a Prætorianis Alexandro faventibus, ipsiusque corpus in Tyberim projectum; quare & *Tyberinus* postea vocitatus est, A. æt. 16, aut 18 secundum alios, imp. 4. *Herod. lib. 5. Lamprid. in Heliog. Eutrop. lib. 8.*

Julia Cornelia Paula, quæ creditur Pauli Præfecti-prætorio filia, Heliogabali prima uxor. Repudiata est ab eodem quod maculam haberet in corpore. *Xiphil. in Heliog.*

Aquilia

Aquilia Severa, e Vestalibus, secunda uxor. Hęc quoque repudiata est, inde iterum sumpta. *Ibid.*

Annia Faustina, quæ genus suum ad Commodum referre dicebatur, tertia uxor. Hanc sibi rapuit Heliogabalus, occiso priore ejusdem marito Pomponio Basso. Ipsam postea brevi dimisit, Aquiliamque resumpsit. *Ibid. Herod. lib. 5.*

Julia Mæsa, Juliæ soror, de qua in Septimio Severo, ex Emæsa urbe Phæniciæ, mater Sæmiadis, ex qua natus Heliogabalus, & Mameæ, ex qua Alexander; sagacissima & opulentissima mulier. Obiit A. æt. 60, Alexandro Imperatore. *Ibid.*

Julia Sæmias, sive Sæmiamira, sive Sæmis, Mesæ, ut diximus, filia, Caracallæ concubina, ex eodemque Heliogabali mater. Cum filio administravit imperium, & cum eodem, quem tenebat mordicus, occisa est. Huic permisit Heliogabalus Senatum muliebrem instituere, in quo ridicula senatusconsulta de legibus matronalibus ferebantur. *Ibid. Lamprid. in Heliog.*

X X V.







AURELIUS SEVERUS ALEXANDER, Alexianus antea dictus, natione Syrus, Varii Marcelli nobilissimi Viri & Juliæ Mamææ filius, obtruncato Heliogabalo, a quo jam fuerat Cæsar appellatus, ad imperium evectus est unanimi omnium consensu, A. 222. Rempublicam summa sapientia, justitia, pluribusque aliis virtutibus administravit. Plurima extruxit ædificia, inter quæ Thermas; multasque Statuas Colosseas erexit. Bellum variis hinc inde cladibus cum Artaxare Per-

Persarum Rege gessit; infeliciter vero expeditionem suscepit in Germaniam. Cum enim milites asperius regeret, Mater autem avariùs eosdem haberet, obtruncatus est in tentorio suo, prope Moguntiam in vico, cui nomen Sicila, principe sceleris Maximino. Christum coluisse fertur, ethnica tamen pietate, cum ejusdem imaginem in larario suo inter Deorum Heroumque simulachra asservaret. Obiit A. æt. 30, imp. 14, *Herod. l.* 5, *&* 6. *Lamprid. in Alex.*

Sallustia Barbia Orbiana, numismatum ope a recentioribus Antiquariis pro Alexandri uxore agnita est, cum antea Decii esse crederetur. *Vaillant.* Ex *Herodiano lib.* 5, *& Lamprid. in Alexandro* scimus, ipsum sibi jugasse jussu matris puellam, quam hic Marciani filiam dicit. Ipse Marcianus ab eodem dicitur Cæsar factus fuisse; inde autem, cum genero pararet insidias, interfectus. Sitne autem hæc eadem cum Sallustia non liquet.

Memmia, Sulpitii viri Consularis filia, altera uxor. *Lamprid. in Alex.*

Julia Mamea, Mamias vocata in Nummo, quem P. Chamillardus vulgavit, & illustravit, Mæsæ filia, Alexandri Mater. Fœmina avarissima; cum filio trucidata est. *Herod. lib.* 5.

Antonius quidam, per milites a pristina in Alexandrum benevolentia recedentes, ad Imperium productus est: At ipse fuga se proripuit. *Zosim. lib.* 1.

Ovinius Camillus, Senator antiquæ familiæ, sub Alexandro tyrannidem affectavit. Cum hoc Imperatori nunciatum esset, ab ipsomet ille in Palatium receptus, & Imperii particeps factus est, imperialibus etiam ornamentis indutus. Inde autem ab Imperatore dimissus, in villas suas se recepit; moxque ipsius jussu interfectus est, quod nimis a militibus amaretur. *Lamprid. in Alex.*

Taurinus, eodem Imperatore, Augustus in Oriente dictus est. Ipse propter metum in Euphratem fluvium se projecit. *S. Aur. Vict. epit.*

XXVI.

XXVI.







JULIUS MAXIMINUS, e Thracia, paſtor olim & opilio, Patre genitus Gotho Micæa nomine, matre autem Ababa ex Alania, ſublato Alexandro imperium aſſecutus eſt, a militibus acclamatus prope Moguntiam A. 235. Corpore fuit procerus, membris validiſſimus, moribus ferus, & immanis; bibax ſupra modum, & vorax; crudeliſſimus, tam in milites ſenatoreſque, quam etiam in ſuos, quos omnes tolli curavit, ut ignobilitas ſui generis celaretur. Germaniam Tranſrhenanam per 400 milliaria devaſtavit. Audita Gordiani in Imperatorem electione Romam movit, ſævas hac illac inferens clades; Aquilejæ autem retardatus, ac victus obſeſſorum virtute, cum de hoſtibus ſe ſe ulciſci non poſſet, in ſuos ſævire cæpit. Quare commoto exercitu trucidatus eſt, dum quieſceret in tentorio, A. æt. 60, aut 65 ſecundùm alios, imp. 3. *Capit. in Maxim. Herod. lib.* 6, 7, & 8.

Paulina, Maximini uxor. Hanc ope nummorum agnoſcimus. *Vaillant*, & alii.

C. Julius Verus Maximus, ſeu Maximinus Junior, Maximini & Paulinæ filius. Juvenis formoſus, & procerus; ſuperbiſſimus autem, ut qui nec aſſurgeret patri; veſtitu accuratiſſimus; cibi vero tantum ſylveſtris appetentior. Unà cum patre, a quo Cæſar dictus fuerat, confoſſus eſt, A. æt. 18, ſive 21, juxta alios. *Herod. loc. cit. Capitol. in Maxim. Jun.*

Junia Fadilla, Antonini proneptis, Maximi uxor. Ipſo mortuo nupſit Toxotio Senatori. *Capit. ibid.*

Magnus, vir patritius & consularis, cum copias pro Imp. Maximino duceret in Germania, in suspicionem affectatæ tyrannidis venit. Re detecta, in ipsum Imperator ac cæteros, qui conjurationis consortes credebantur, crudelissimè animadvertit, captis omnibus, atque interfectis. *Herod. lib. 7.*

Titus quidam, Quarcinus vulgò, Dux Osdroenorum, a suis ob amorem & desiderium Alexandri Severi, odiumque Maximini Imperator factus est, atque omnibus imperii insignibus ornatus, licèt invitus. Dum vero domui suę cubat, occisus est ab uno ex amicis suis; caputque ad Maximinum delatum, qui gratiis primùm actis interfectori, ipsum postea jussit occidi. *Capit. in Maximin. Sen.*

Calphurnia, nobilis matrona, ex Censorinorum, idest Pisonum genere, Titi uxor. *Treb. Poll. in Ti.*

X X V I I.





MARCUS ANTONIUS GORDIANUS, paternum genus e Gracchorum gente, maternum vero a Trajano Imperatore ducens, Metii Marulli & Ulpiæ Gordianæ filius, *Africanus* cognomento, seu quòd Africæ Proconsul esset, seu qudò originem a Scipione Africano jactitaret, Imperator ibidem factus est a militibus contra Maximinum, A. 236. Princeps probis moribus, & in multis spectatus negotiis: Poemata quoque scripsisse fertur. Adventante Carthaginem Capeliano Maximini Duce, omnibus ad eundem præ timorę transeuntibus, ipse viribus se destitutum noscens, interfecto etiam ab

ab eodem Capeliano M. Antonio filio, de quo infra, in cubiculo suo se suspendit, A. æt. 80, imp. mense 2. *Herod. lib. 7. Capit. in Gord.*

Fabia Orestilla, Antonini proneptis, Gordiani uxor. Genuit Gordianum Juniorem, alterumque filium, & Metiam Faustinam. *Capit. Ibid.*

MARCUS ANTONIUS GORDIANUS *Junior*, Senioris & Fabiæ Orestillæ filius, Augustus non multò post electum patrem a militibus dictus est. Fuit in studiis opinionis gravissimæ, memoriæ singularis; bonitatis insuper insignis; vini autem fœminarumque cupidior, cibi verò parcior. A Capeliano ingenti cæde victus interiit; nec ejus cadaver inventum est, A. æt. 46. *ibid.*

Conantur aliqui, inter quos eruditissimus quidam Anonymus Gallus, alterum hìc Gordianum titulo Cæsaris adstruere, tum ex Historiarum, tum ex Nummorum conjectura. Hanc tamen opinionem, plausibilem licèt, & disertissime a Gallo jam dicto in speciali dissertatione, quæ manuscripta ad nos olim pervenit, exhibitam, veritati parum consonam affirmare non dubitabimus. Quod attingimus tantum; primo quòd, nec loci hujus, nec nostri est instituti ipsam refellere; deinde quòd eidem abundè D. Cuperum satisfecisse non ignoramus. Videri quoque potest super hoc ipso *Cl. Bandurius, Biblioth. Nummor. num.* 150.

XXVIII.





DECIMUS CÆLIUS BALBINUS, genere nobilissimus, bis Consul, interfectis Gordianis, a Senatu unà cum Pupieno electus est Imperator contra Maximinum A. 237, hac lege, ut ipse Romæ administraret, Pupienus verò ad bella proficisceretur. Eloquentia clarus, vini autem, cibi, venerisque avidior fuit: Rempublicam tamen cum Collega summa cum moderatione, ac pietate in senatum rexit. Occisus est cum eodem a militibus hoc modo. Audiens Pupienus, milites, qui Imperatores, non a se, sed a senatu factos oderant, contra se venire, ad accersendas copias Germanorum misit: Has Balbinus Collegam non ad defensionem, sed ad nova tentanda velle ratus, cunctanter auxilia transmisit. Ingressi interea Palatium milites utrumque Imperatorem fœdissimè corripuerunt, innumerisque offensis affectos ad castra trahere conati sunt; accurrentibus autem Germanis, ambos interfecerunt, & cadavera in itinere reliquerunt. Obiit ipse Balbinus, A. æt. 60, imp. 2 inchoato. *Herod. lib. 7, ac 8. Capit. in Max. & Balb.*

MARCUS CLODIUS PUPIENUS MAXIMUS, patre ortus fabro ferrario, seu rhedario, moribus tamen & virtute bellica nobilis, cum Balbino, ut diximus, Augustus factus est. Contra Maximinum perrexit cum exercitu; sed dum Ravenna Aquilejam versus movet, ejusdem cædes ipsi nunciata, & capita patris, ac filii delata sunt. Romam igitur reversus est, summosque honores acce-

accepit à Senatu. Obiit trucidatus a militibus, ut relatum ſupra, A. æt. 74. *Ibid.*

XXIX.





MARCUS ANTONIUS GORDIANUS III. Gordiani ſenioris nepos ex filia, ſeu ex filio ſecundùm alios, Cæſar jam declaratus ex militum voluntate quando Maximus & Balbinus Imperatores facti ſunt, occiſis iiſdem, militum ſenatuſque conſenſu Imperator factus eſt, A. 238. Princeps amabilis, gratus omnibus, ac jucundus, optimè Reipublicæ præfuit, uſus præcipuè Miſithei Soceri ſui conſilio, & opera. Expeditionem ſuſcepit in Perſas, quos pluries vicit, adeoque oppreſſit, ut intra ſuum Regnum receſſerint, Orienſque totum Romanis quietum reliquerint. Occiſus eſt prope Cteſiphontem artibus Philippi, qui eò jam calliditate officiiſque pervenerat, ut ipſi a militibus imperium demandaretur, & veluti Gordiani tutor cum eodem imperaret; A. æt. 22, imp. 6. *Herod. l.* 8. *Capit. in Gord.*

Furia Sabinia Tranquillina, Miſithei Præfecti prætorio filia, probatiſſima mulier, Gordiani uxor. *Ibid. Eutrop. lib.* 9.

XXX.







MARCUS JULIUS PHILIPPUS, humili loco in Arabia natus, rei bellicæ peritiſſimus, a militibus ſalutatus jam Imperator, occiſo Gordiano imperium obtinuit A. 244. Miræ calliditatis fuiſſe traditur. Ludos ſæculares celebravit. Movens contra Decium Imperatorem ſalutatum, occiſus eſt a ſuis Veronæ, A. imp. circiter 6. *Capitol. in Gord. Eutrop. libr.* 9. *Sex. Aur. Vict.*

Martia Otacilia Severa, fœmina Chriſtiana, Philippi uxor, quam e Dacia nonnulli ortam exiſtimant, qua conjectura ducti incertum, cum communiter Romana fuiſſe credatur. Hujus ſuaſu quidam ferunt maritum ipſum ad Chriſtum unà cum filio converſum fuiſſe. *Euſeb. lib.* 6, *c.* 26. *Occo, aliique Antiquarii ex nummis*. Genuit Philippum Juniorem, & filiam; refertur enim Philippi gener Severianus a *Zoſimo lib.* 1.

Philippus Junior, Philippi & Otaciliæ filius, a Patre Cæſar factus eſt. Juvenis adeo ſeverus & triſtis, ut nullo potuerit unquam lenocinio ad ridendum impelli, quare Agelaſtos dictus. Occiſo patre, ipſe quoque Romæ periit, trucidatus a Prætorianis, A. ætat. 12. *Eutrop. lib.* 9. *Pomp. Læt. in Phil.*

Marcus, cognomento Philoſophus, vir gravis & ſapiens, poſt Gordianum a Senatu Imperator dictus fuerat; ſed repente obiit. *Pomp. Læt. in Marco, & Sev.*

Severus Hoſtilianus Marco ſtatim ſuffectus eſt. In morbum lapſus, venam medicis imperitè ſolventibus, obiit, *Ibid.*


Ibid. Nummum hujus profert *Mediobarbus*, de cujus ingenuitate judicent Antiquarii. A nonnullis creditur pater Hostiliani Imp., de quo infra.

Marinus, Publius Carvilius apud nonnullos Antiquarios prænominatus, Dux Sarmatici limitis, a Philippo missus ad coercendos Scythas, ab exercitu Imperator salutatus est. Oborta autem factione militari occubuit. *Pomp. Læt. in Phil.* Eundem cum hoc Marino suspicatur esse posse Pacatianum, cujus Nummum rarissimum Argenteum vulgavit *P. Chamillardus*, *epist.* A. 1701. impressa conjectura quidem sagaci, atque erudita. Eundemque cum Pacatiano Jotapianum esse, cujus mentio fit apud *S. Aur. Victor.* conjectat *Genebrierius*.

XXXI.







MARCUS CN. MESS. QUINTUS TRAJANUS DECIUS, Bubalia seu Bibali inferioris Pannoniæ urbe natus, cum a Philippo contra Marinum fuisset missus, Imperator dictus est ab exercitu in Illyrico, A. 249. Optimis artibus domi forisque præditus adeo civiliter imperavit, ut cognomen Optimi meritus Trajano fuerit comparatus; laudabilior tamen si a Christianorum sanguine abstinuisset. Scythas multis præliis vicit: Ab ipsis vero tandem in insidias tractus, obiit fortiter pugnans, crediturque in palude demersus, A. ætat. 50, imp. 3. *Eutrop. libr. 9. Sext. Aur. Vict. Pomp. Læt. in Dec.*

Herennia, Etruscilla pro Decii uxore, cum prius filia crederetur, ope Nummorum agnoscitur. *Vabillant*, aliique Antiquarii.

Quintus Herennius Etruscus Messius Decius, Decii & Etruscillæ filius, patri consors fuit in imperio, & cum eodem obiit in pugna contra Scythas. *Pomp. Læt. in Dec. Sex. Aur. Vict.*

In Martyrologio Romano mentio fit Sanctæ Triphoniæ, uxoris quondam Decii Cæsaris. An hujusce Messii Decii fuerit an vero alterius, quis certo affirmet? Adnotare hoc voluimus tamen, ne quidquam taceatur, quod ad nostri cognitionem pervenerit. Addemus quinimmo, mentiotionem ibidem fieri etiam S. Cyrillæ Virginis, filiæ S. Triphoniæ, quæ sub Claudio Principe jugulata est.

Lucius Priscus, qui apud Macedonas præses erat, a Gothis, qui illò pervenerant post Thraciæ devastationem, Imperator factus est; mox autem & cæsus. *Sex. Aur. Vict. de Cæsar.*

Julius Valens, digresso ab urbe Decio contra L. Priscum, acclamatus est Imperator a vulgo; ast brevi ipse quoque periit. *Ibid.*

Præter hosce Tyrannos videtur hic ponendus M. Aufidius Perpenna Licinianus, Valens Licinianus *Victori* nominatus, de quo nil supra nomen ex Historiis patet.

XXII.







CAJUS VALENS HOSTILIANUS, seu natura, seu adoptione Decii filius, occiso eodem factus est Imperator a Senatu, ut cum Gallo, quem milites elegerant, imperaret. Non multo post electionem suam obiit ex pestilentia, A. 251. *Sex. Aur. Vict.* videtur hunc Hostilianum Perpennam nominare, nisi credere velimus

vocem eam Perpennæ ex Librarii incuria prodiisse, ut placet Cl. *Bandurio*. Alii hujus non meminere, alii sub Gallo electum fuisse tradunt. *Eutropius* videtur illum cum Gallo confundere. Ipsius utique Historia apud Auctores in obscuro admodum esse videtur, atque implicita.

CAJUS VIBIUS TREBONIANUS GALLUS, vir patritius, a Decio Dux in Mæsiæ limite constitutus, acclamatus est post Decium Imperator a militibus, A. 251. Princeps ignavus nihil egit memoria dignum, damna potius inflixit Imperio; nam fœdus cum Scythis pepigit, iisdemque tributum solvit. Barbari ex eo audaciores facti fœdus fregere, pluresque Romanorum provincias depopulati sunt. Imperatore inde electo Æmiliano, dum contra ipsum proficiscitur, a propriis militibus ignaviam hominis despicientibus occisus est, A. æt. 47, imp. 3, *Pomp. Læt. in Gal.*

Post Gallum ponitur ab Occone Hostilia Severa, de hac quid aliud afferamus non occurrit.

VOLUSIANUS Treboniani Galli filius, a Patre consors imperii factus est. Obiit trucidatus a militibus unà cum eodem. *Ibidem.*

XXXIII.

XXXIII.



CAJUS JULIUS seu Marcus ÆMYLIANUS, natione Maurus, cum esset sub Treboniano legionum Pannoniç rector, & impigrè adversus Scythas decertasset, a militibus imperator factus est, gratitudinis ergo, quòd iisdem promissa ante pugnam prçmia uberrimè persolvisset, A. 254. Princeps pugnacissimus, qui Barbaros omnes facilè domuisset, sicuti pollicitus senatui fuerat; sed, acclamato ad imperium Valeriano, a propriis militibus metu civilis belli occisus est prope Spoletium, A. çtat. 40, sive 46, secundùm alios, imp. mense circiter 3. *Eutrop. l. 9. Pompon. Læt. in Æmyl. Sex. Aur. Vict. Epit.*

XXXIV.





PUBLIUS LICINIUS VALERIANUS, Colobius dictus, Valerii Flacci filius, genere nobilissimus, quem nonnulli putant de gente Cornelia, ab exercitu Rhçtico salutatus est Imperator, A. 254. Mirum quam diffideant Historici in hoc Principe describendo; nam quidam semistolidum, & Reipublicç prorsus inutilem dicunt; alii

alii contra probatum hominem, ſummoque in honore ſemper habitum. In Germanos acerrimè deſæviit, ex eoque viſa ipſi fortuna, & felicitas evaneſcere; Germani enim magna irruptione in Italiam Ravennam uſque pervenere. Inde autem movens contra Saporem Perſarum Regem, ab eodem captus eſt, A. imp. 6, aut 4. ſecundum alios; miſeramque apud hoſtes ſervitutem ſubiit, a qua nullis precibus, nulloque pretio potuit exſolvi. Obiit tandem juxta quoſdam Auctores, etiam ab iiſdem excoriatus, & ſale conſperſus A. æt. 76. *Eutrop. l.* 9. *Sext. Aur. Vict. de Cæſar. Treb. Pol. in Valer. Pomp. Læt.*

Mariniana, Valeriani altera uxor, ex qua natus Valerianus Junior. Hanc ope nummorum agnoſcimus. Alterius uxoris, ex qua Gallienus, nomen ignoratur. *Treb. Pol. in Valer. Jun.*

XXXV.



PUBLIUS LICINIUS GALLIENUS, aliquibus in nummis Græcis etiam *Egnatii* & nonnunquam *Valeriani* prænomine donatus, Valeriani filius, a Patre Cæſar jam factus, rerum ſumma ſolus potitus eſt eodem capto, Imperatorque dictus A. 260. A patre optimè educatus fuit, liberaleſque artes etiam diſertè profeſſus eſt. Patris autem cenſura ſolutus, vitiis omnibus ſe ſe addixit;

luxu-

luxuriæ præsertim, & ignavissimæ negligentiæ; indeque factum ut plurimi e Romanarum copiarum Ducibus contra ipsum insurgerent, imperiumque eidem eripere conarentur. Occisus est prope Mediolanum artibus Macriani, & Heracliani, dum pergeret contra Aureolum Tyrannum, A. æt. 50, imp. post patrem 8. *Treb. Pol. in Gall.*

Cornelia Salonina, nonnullis in Nummis Græcis Chrysogone appellata, Gallieni uxor. Genuit liberos, ut infra. Legimus & nomen Piparæ seu Pipæ, ejusdem aut uxoris, aut concubinæ, Attali Germanorum Regis filiæ. *Sex. Aur. Vict. de Cæs. & Epit.* Hanc ex ipsis veteribus alii eandem cum Salonina dicunt; alii diversam asserunt, probabiliùs quidem. Idem sensit nuperrimè eruditissimus *Christianus Gotlib. Schwarzius*, in Academia Altorfina Pub. Professor, *Doctrinæ Antiquariæ capit.* 1, ad cujus rationes, quibus opinionem suam luculenter tuetur, Lectorem remitto.

Publius Licinius Cornelius Valerianus; Gallieni & Saloninæ filius. Ab avo suo Valeriano factus est Cæsar, sed brevi periit. *Sex. Aur. Vict. Epit.*

Cornelius Saloninus, seu Quintus Julius Saloninus Gallienus, Cornelii Valeriani frater, eodem mortuo, Cæsar a patre dictus est. Occisus est Coloniæ, acclamato ad imperium Posthumo, qui datus ipsi fuerat in tutorem. *Ibid. Treb. Pol. in Posth.* Præter hosce filios, filiam quoque Juliam nomine Gallieno fuisse testatur Inscriptio Gruteriana.

Licinius Valerianus Junior, Valeriani Senioris & Marinianæ filius, Gallieni frater. Juvenis probis moribus, fratrique dissimilis unà cum eodem occisus est. *Treb. Pol. in Val. Jun. & Gall. Pomp. Læt. in Valer.*

Gnea Cornelia Supera, quam ope Nummorum tantum agnoscimus, dicitur Valeriani Junioris uxor. *Mediob. Vaillant.*

Gallienæ cujusdam Imperatoris Gallieni consobrinæ meminit *Treb. Pol.* in Celso tyranno. Hanc Augustam appellatam fuisse suadere conatur eruditissimè *Ludovicus Vallemontius* speciali Dissertatione de Nummo aureo, in quo

circum

circum caput Gallieni Imperatoris legitur *Galliena Augustæ*. Præterire hoc noluimus, ne videamur doctissimi Viri conjecturam parvi facere. Cæterum consuli merentur ad Dissertationem ipsam responsiones, quæ videri possunt in *Bibliotheca Nummaria P. Bandurii*, a *Fabricio* illustrata, num. 79, & 196; nec minus *Vaillant* in ejusdem Nummi illustrationem. *Numism. Imp. Tom. II.*

Grecum Numisma Sulpitii Antonini ex Musæo Com. de Pembroc affert *Cl. Haym*, ipsumque Antonino cuidam ab Imp. Alexandro Severo ortum trahenti adjudicat: Ardua nobis tamen ipsius conjectura, disertissimè quamvis pertractata, videtur. Quidni Nummus sit Antonini Tyranni, qui hisce temporibus a *Zosimo lib.* 1 recensetur? Nisi tamen certior me conjectura fallit, Nummus ille ad Caracallam est referendus.

Gallieno Imperatore insurrexere triginta circiter Tyranni, qui Romanum Imperium dum affectant, sibique invicem rapiunt, cuncta sanguine ac sceleribus miscuere. Hi omnes ferè per Imperii limites Duces erant, dumque Imperator ignavia & luxuria perditissimus Reipublicæ curam negligeret, occasionem nova moliendi nacti sunt. Horum seriem non divulsam subtexemus, quamvis eorum aliqui sub Claudio, & Aureliano fuerint, a quibus sublati sunt. Historiam attingunt plures Auctores, ut *Pomp. Læt. in Valer. Sex. Aur. Vict. Eutrop. lib.* 9. *Oros. lib.* 7. *cap.* 22. aliique; sed quia nullus uberius egit Trebellio Pollione, qui ex professo triginta Tyrannorum Historiam scripsit, ideo ejusdem tantum utemur testimonio.

Marcus



I.

MArcus Cassius Latienus Posthumus, Dux Transrhenani limitis, imperium arripuit Coloniæ, occiso Salonino Gallieni filio. Cæsus est a Gallis novarum rerum cupidis fraude Lolliani, A. imp. 7. Vir fortissimus in bellis, in pace constantissimus, in omni vita gravis. *Idem.*

Junia

Junia Donata Posthumi uxor fuisse conjicitur ex Numismate æreo apud *Jo. Jacobum Chiffletium*, *Lumin. Prærog.* in cujus altera parte Posthumorum Patris ac Filii capita extant, in altera verò muliebre caput cum epigraphe *Juniæ Donatæ*.

2.

C. Junius Cassius Posthumus Junior, jam dicti filius, a Patre Cæsar, inde & Augustus a Gallis dictus est. Juvenis eloquentissimus, qui auctor creditur Controversiarum, quæ Quintiliani Declamationibus adnectuntur. Obiit cum patre. *Treb. Pol.*

3.

Cyriades Sapori Persarum Regi sociatus, Antiochia & Cæsaræa captis, Augustum se dixit. Adventante autem Valeriano, per insidias suorum occisus est. *Treb. Pol.*

4.

L. Ælius, aliis Decimus Lælius Ingenuus, vir fortis, Pannoniæ rector, a Mæsiaco exercitu Imperator est salutatus. Victus a Celere Veriano Gallieni Præfecto, se ipsum, ne caperetur, occidit eodem quo tyrannidem invaserat anno. *Idem.*

5.

Lollianus sive Lælianus, ut ex Nummis tenendum videtur, vir fortissimus, sublato Posthumo, imperium arripuit in Gallia; profuitque Reipublicæ, nam Germanos coercuit. Occisus est a suis post aliquot menses, quod nimius esset in laboribus indicendis. *Idem.*

Mar-

6.

Marcus Piavonius Victorinus, a Posthumo consors imperii factus, sublato Lolliano, regnavit solus in Galliis. Vir nulli sanè secundus, nisi præceps libidine fuisset. Sublatus est Coloniæ a quodam milite, cujus uxorem corruperat, post annum imp. secundum. *Idem.*

7.

L. Aurelius Victorinus Junior, prioris filius, a patre dictus est Cæsar qua hora interfectus est; ipseque, occiso patre, statim a militibus est confossus. *Idem.*

8.

Victoria, seu Victorina, Victorini senioris mater, sublatis filio ac nepote, Augustæ nomen retinuit, & Mater Castrorum dici voluit. Tetricum ad Imperium capessendum hortata est, quo imperante obiit; dubium naturaline fato, an violento. *Idem.*

9.

Marcus Aurelius Marius, Mamurius etiam, & Vecturius dictus, ferri olim opifex, sed vir strenuus, & miræ fortitudinis, in manibus præsertim ac digitis, post Victorinum rapuit Imperium, quod tribus tantum diebus obtinuit. Occisus est a gregario milite gladio, quem ipse olim fecerat; fuerat enim faber ferrarius. *Idem.*

10.

Q. Nonius Regillianus e Dacia, Decebali Regis affinis, cum in Illyrico ducatum gereret, a Mæsiis acclamatus est Imperator per jocum inter cænandum, inspecta ejusdem nominis notatione. Fuit in bellis probatissimus, multaque contra Sarmatas fortiter gessit. Milites autem Pro-

Provinciales timentes, ne in eos propter ipsum ſeviret Gallienus, ſicuti olim ſævierat propter Ingenuum, eundem paucos poſt menſes interfecerunt. *Idem.*

11.

M. Acilius Aureolus, e Dacia, paſtor olim, ut quidam tradunt, poſtea dux in Illyrico, coactus eſt a militibus in Gallieni contemptum Imperium ſumere. Conflictu habito cum Claudio Imperatore, interiit ad Pontem Aureoli, nunc *Pontirolo*, in Inſubria, anno imp. primo non expleto. *Idem.*

12.

Marcus Fulvius Macrianus, ſeu Macrinianus, in Oriente unà cum filiis acclamatus eſt Imperator. Dum movet contra Aureolum 45 millibus militum, in Illyrico cum Domitio Domitiano Aureoli duce congreſſus, occiſus eſt anno imp. ſecundo inchoato. *Idem.*

13.

Quintus Fulvius Macrianus Junior, cum Patre Auguſtus eſt dictus, cumque eodem occiſus. *Idem.*

14.

Cajus ſive Cnæus Fulvius Quietus, alter Macriani ſenioris filius. Cum patre factus eſt Auguſtus. Occiſis autem patre ac fratre, in Aſiam reverſus eſt; ibique eſt ſublatus ab Odenato prope Edeſſam. *Idem.*

15.

Servius Anicius Baliſta, auctore Macriano Imperium capeſſendi, ipſe quoque a quibuſdam dicitur Imperium idem deguſtaſſe; vir ſanè virtute bellica præclarus. Interfectus eſt dum in tentorio cubaret, a gregario milite juſſu Odenati, non longè ab Antiochia, in vico Daphne. *Idem.*

16.

Domitius Domitianus, a Domitiano ac Domitilla genus trahens, juxta quosdam Auctores, quod tamen parum probabile videtur, Dux fuit Aureoli fortissimus, ac vehementissimus. *Zosimus lib.* 1 de ipso ait quod venerit in suspicionem novarum rerum, & brevi fuerit oppressus. Apud cæteros Historicos de ipsius imperio altum silentium. Ope autem Nummorum, affirmamus cum Patino, & aliis e recentioribus, hunc Augustum fuisse, & Imperium quidem plusquam annum unum tenuisse. Unà cum Domitiano Epitimium & Urbanum pariter in suspicionem venisse tradit Auctor supracitatus.

17.

Odenatus Princeps Palmyrenorum, vir bellicosus, capto Valeriano, Regem se primùm, inde Imperatorem quoque jussit appellari. Persas domuit, totumque ferè Oriens pacavit, ac Romano juri subjecit. Occisus est a Mæonio consobrino suo imperium affectante, conscia, ut quibusdam placet, uxore Zenobia, anno Imp. quarto inchoato. *Treb. Pol.*

18.

Herodes, seu Herodianus, Odenati filius ex altera uxore quam Zenobia, cum patre factus est Augustus. Juvenis delicatissimus, & luxuriæ prorsus Orientalis. Interfectus est cum patre. *Idem.*

19.

Herennianus, Odenati ac Zenobiæ major natu. Mortuo patre imperatoriis insignibus a matre regnandi avida ornatus est. Dubium ab Aurelianone victus fuerit, an proprio perierit fato. *Idem.*

Timo-

20.

Timolaus, alter Odenati filius & Zenobiæ, eandem cum fratre sortem subiit; ejusdemque pariter mors incerta. *Idem.* Legimus & Balbatum Zenobiæ filium apud *Vopisc. in Aurel.*

21.

Zenobia, de Ptolomæorum stirpe, Odenati uxor. Imperavit filiorum nomine sub Gallieno, Claudio, & Aureliano, a quo tandem victa est, & in triumphum ducta. *Treb. Pol. Eutrop. lib.* 9. Mirum autem quod *Zosimus libr.* 1 scribat, ipsam in itinere obiisse, nec Romam pervenisse.

Vabalathus, Ermias cognomento, alter Odenati filius. Unà cum noverca Romani juris factus est. Ejus effigiem in aversa parte quorumdam numismatum Aureliani videmus. *Patinus, Mediob.*

22.

Mæonius, Odenati consobrinus, eidem vitam rapuit, & imperium. Statim tamen homo spurcissimus occisus est a militibus. *Treb. Pol.*

23.

P. Aurelius, seu Valerius Valens, apud Macedonas Imperium sumpsit, ut se se a Macriani insidiis tueretur. Vir pace belloque bonus; sed mox occisus est a militibus. *Idem.*

24.

L. Calpurnius Piso, a Macriano ad cædem Valentis missus, cognito eundem Imperatorem fuisse declaratum, in Thessalia consedit, seque ibi constituit Imperatorem. Fuit sanctitatis miræ, & Frugi dictus; ipsique mortuo di-

vini honores, Statua, & Quadriga decreta sunt. Interfectus brevi est, missis percussoribus a Valente. *Idem.*

25.

T. Cæstius Alex. Æmilianus, in Ægypto ab exercitu Imperator factus est, & ob victorias in iis regionibus Alexandrinus appellatus. A Theodoro Gallieni Duce captus est, & strangulatus, anno imp. secundo. *Idem.*

26.

Julius, aliis Publius Saturninus, Dux optimus, ab exercitibus acclamatus, imperium sumpsit. Rebus multis egregiè gestis, cum severioris esset disciplinæ, ab iisdem, qui ipsum elegerant, sublatus est, anno imp. circiter quarto. *Idem.*

27.

C. Pesuvius Tetricus, favente Victorina Augusta, Imperium arripuit in Galliis. Plura gessit pari fortitudine, ac felicitate. Cum autem militibus insidiosis præesse nollet, Aureliano se tradidit, a quo ductus est in trimphum: Sed inde magno honore habitus, & Corrector totius Italiæ factus est, cum tyrannidem quinquennio circiter tenuisset. *Idem.*

28.

Tetricus Junior, prioris filius, eandem cum patre fortunam expertus est; cum eodem Cæsar factus, ab Aureliano in triumphum ductus, ab ipsoque honoratus. *Ibid.*

29.

C. Annius Trebellianus, in Isauria factus est Imperator; captus inde a Gallieni ducibus est, & occisus. *Idem.*

T. Cor-

30.

T. Cornelius Celsus, Africæ Tribunus, factus est ab Afris in Gallieni contemptum Imperator. Septimo die post interfectus est opera Gallienæ cujusdam Gallieni consobrinæ, de qua jam supra. *Idem*.

XXXVI.



MARCUS AURELIUS CLAUDIUS, e Dalmatia, Gallieni morientis sententia Imperator designatus, eodem mortuo votis omnium confirmatus est, tum in exercitu, tum postea Romæ in Senatu, A. 268. Imperator optimis moribus, sapientibus institutis, re bellica, & parsimonia vitæ conspicuus. Aureolum statim vicit; inde contra Gothos, innumerosque alios septentrionalis plagæ barbaros movit, quos summo Reipublicæ bono profligavit, cæsis hostium 320 millibus; ob idque etiam *Claudius Gothicus* communiter appellatur. Obiit Sirmii in Pannonia ex lue, A. ætat. 32, imp. 2. *Treb. Pol. Pomp. Læt. in Claud. Eutrop. lib* 9.

Appius Claudius Censorinus, vir omni honore perfunctus, dum in agro suo degeret senex & claudus ex vulnere, quod in bello contra Persas Valeriani temporibus telo ipsi fuerat inflictum, unde per jocum *Claudius* dicebatur, factus est a militibus Imperator. Ab iisdem etiam est occisus, quòd severioris esset disciplinæ, paucis post diebus. *Trebell. Poll.*

C. A. Pomponius Ælianus apud Moguntiacum dominatum invasit, referente *S. Aur. Vict. Aug. Hist. Epit.* nec de ipso quod sciam, alia apud Historicos mentio.

XXXVII.



MARCUS AURELIUS QUINTILLUS, Claudii frater, vir optimus, fratre mortuo, a Senatu Imperator factus est, A. 270. Cum exercitus Aurelianum acclamasset, ipse se imparem cernens, venas sibi solvit, imp. die 17, vel post aliquot menses, juxta nonnullos. Alii tradunt ipsum a Prætorianis interemptum. *Pomp. Læt. Trebel. Pol. in Claud. Sext. Aur. Vict. Epit. Eutrop. lib.* 9. Addit *Cassiod.* ipsum Aquilejæ occisum fuisse.

Crispus, Claudii & Quintilli frater. Filiam habuit Claudiam nomine, ex qua & Eutropio nobilissimo viro natus est Constantius Chlorus, de quo infra. *Treb. Pol. in Claud.*

XXXVIII.





VALERIUS, seu LUCIUS DOMITIUS AURELIANUS, obscuro natus genere in Panoniæ urbe Sirmio, sive in Dacia juxta quosdam Auctores, a militibus evectus est ad Imperium A. 270. Princeps

ceps miræ virtutis in bellis, & disciplinæ severissimæ. Plures retulit victorias, tam in Occidente, quam in Oriente, ubi inter cæteras præclaram illam de Zenobia, ejusque filiis. Dum contra Persas revertitur, fraude Mnesthei Notarii sui, qui multorum nomina scripserat, quasi illos Imperator morti destinasset, interfectus est a militibus prope Cænophrurium, inter Hæracleam & Byzantium, A. imp. 4. cum dimidio. *Vopisc. in Aurel. Eutrop. lib.* 9.

Ulpia Severina, Aureliani uxor. Genuit unicam filiam, ut tradit *Vopiscus in Aurel.* Ejus nomen ex Nummis tantum dignoscimus, in quibus septimus annus etiam signatus observatur.

Firmus, seu Firmius è Seleucia, Aureliani temporibus tyrannidem arripuit in Ægypto. Fuit miræ fortitudinis, & edacitatis. Ab Aureliano victus est: Alii dicunt seipsum interfecisse paucos post menses. *Vopisc. in Firmo.*

Septimius quidam, eodem Imperatore, apud Dalmatas Imperator effectus, mox a suis obtruncatus est. *S. Aur. Vict. Epit.* Hic Epitimius ille, a Zosimo relatus, a nonnullis creditur.

Antiochus quidam, absente Aureliano, a Palmyrenis Imperator dictus est; sed Aurelianus reversus, oppido sine pugna capto, tyrannum propter conditionis humilitatem ne supplicio quidem dignum arbitratus, dimisit. *Zosim. libr.* 1.

XXXIX.



MARCUS CLAUDIUS TACITUS, Nobilis Romanus & Consularis, post sex mensium interregnum, quod primo tunc contigisse post Romuli mortem adnotat *Sleidan. lib.* 2, *in Tacito*, Imperator electus est a Senatu invitus reluctansque, A. 276. Princeps egregiis moribus, & vita parcissima; studiis addictissimus, ut qui nulla die aliquid, aut legere, aut scribere prætermitteret. Thermas publicas ædificavit, domo sua destructa, easdemque claudi quotidie jussit ante lucernam. Scythas, qui transiecta palude Meotide, per Pontum ad Ciliciam usque pervenerant, debellavit partim ipse, partim per Florianum Fratrem. Dum ex Asia in Europam contendit, obiit Tarsi, aut ex febri, aut ex militum insidiis, imp. Mense 7. *Sex. Aur. Vict. Epit. Vopisc. in Tac.* Ex *Zosimo* videtur obiisse potius in Europa.

Ex *Vopisco* ipsum liberos suscepisse constat; eorundem tamen Uxorisque nomina in obscuro sunt.

XL.

XL.



MARCUS ANNIUS FLORIANUS, Taciti frater ex eadem matre, ſed ex alio patre, ut creditur, vir prodigus, & cupidus imperandi, mortuo fratre, arripuit imperium, A. 276. Interfectus eſt a militibus Tarſi, acclamato Probo. Alii autem ſcribunt, ipſum ſibimet necem ſolvendo venas intuliſſe, imp. menſe 2. *Vopiſc. in Flor. Sext. Aur. Vict. Epit. & de Cæſar.*

De Uxoris ipſius Liberorumque nomine apud Auctores nulla mentio; & tamen liberos ipſi fuiſſe certum eſt.

XLI.



MARCUS AURELIUS VALERIUS PROBUS, genere ignobilis e Sirmio, filius cujuſdam Maximi, qui olitor a quibuſdam dicitur fuiſſe, a militibus electus eſt Imperator in Oriente, A. 276. Vir diſciplinæ ſeveriſſimæ, & miræ virtutis in bellis. Tyrannos Saturninum, Proculum, & Bonoſum dejecit, Barbaroſque undequaque aut debellavit, aut terruit; quare *Victor omnium gentium Barbararum, & Tyrannorũ* dictus eſt.

Plu-

Plura & maxima opera militum nisu & laboribus in Germania, Mæsia, aliisque provinciis perfecit; solebatque dicere, annonam gratuitam militem comedere non debere. Id autem ægrè ferentes milites, ipsum prope Sirmium interfecerunt, A. ætat. 50, imp. 6 *Vopisc. in Probo. Eutrop. lib. 9. Sex. Aur. Vict.*

Uxorem Probi, quam sanè ab ipso habitam constat, & quidem liberorum matrem, nonnulli Juliam Proclam nominant, qua auctoritate non satis notum. In martyrologio Romano mentio fit Sancti Hadriani filii Probi Cæsaris, qui Licinio persecutionem in Christianos commotam exprobrans, ab eodem jussus est occidi.

Saturninus, e Galliis oriundus, dux limitis Orientalis ab Aureliano constitutus, Imperatorem se dixit in Ægypto. Missis a Probo militibus occisus est, ipso Probo tamen invito, qui ad eundem epistolas sæpe miserat, in quibus veniam pollicebatur. *Eutrop. libr. 9. Vopisc. in Saturn.*

T. Ælius Proculus, Albingauni in Liguria natus, impellentibus Gallis Lugduni, sive prope Agrippinam secundum quosdam, sumpsit Imperium. Vir fortis, & rei bellicæ peritissimus. A Probo fugatus est in ultimas Galliarum oras, ubi a Francis proditus Probi militibus, ab iisdem est interfectus. *Vopisc. in Proc.*

Viturgia, quæ & Sampso dicta fuit, Proculi uxor. Genuit filium nomine Herennianum. *Idem.*

Q. Bonosus, sive Bonosius, Britannus, vir admodum bibax, sed bellicosus, cum esset dux Rhætici limitis, Imperium sibi usurpavit ad Rhenum. Victus a Probo, laqueo se ipsum sustulit. *Vopisc. in Bon.*

Hunila, de Gothorum gente, Bonosi uxor. Nati ex hâc bini liberi, quibus Probus pepercit. *Idem.*

XLII.

XLII.



MARCUS AURELIUS CARUS, quem alii Romanum, alii Mediolanensem, alii Illyricum, alii Narbonensem dicunt, occiso Probo Imperator acclamatus est a militibus, A. 282. Princeps per omnes tam urbanos, quam militares gradus provectus, victoriisque clarus adversus Sarmatas, & Persas. Obiit ictu fulminis prope Ctesiphontem ad Tigrim fluvium. A. imper. 2. *Vopisc. in Caro. Eutrop. lib. 9. Sext. Aur. Vict. Pomp. Læt. in Caro.*

Liberos Caro susceptos Carinum & Numerianum produnt Historici. Uxoris autem ipsius nomen occultum hactenus, nostra hac demum ætate docere eruditissimè conatus est *Cl. Genebrierius*, ipsam Magniam Urbicam fuisse asserens, quæ communi sententia pro Maxentii uxore hactenus est accepta, ut infra dicemus.

XLIII.





MARCUS AURELIUS CARINUS, Cari filius natu major, a patre cum Numeriano fratre ad imperii consortium adscitus, idem obtinuit post patrem A. 283. Homo luxuriæ immodicæ, ut qui dicatur fuisse novem uxorum vir. Audito Diocletianum Imperatorem factum, venit in Italiam e Gallia, cui pater ipsum præfecerat, interimque vicit Sabinum Julianum. Contra Diocletianum inde movit, cum quo sæpius conflixit; tandem verò a suis desertus, interfectus est a Tribuno suo prope Mursiam in Mæsia, A. imp. 2 inchoato. *Vopisc. in Carino*.

Uxores novem a Carino ductas testis est idem *Vopiscus*, quarum plerasque tamen prægnantes fertur dimisisse.

MARCUS AURELIUS NUMERIANUS, Carini frater, cum eodem imperavit. Juvenis fratri dissimillimus, moribus honestissimis præditus, & eloquentissimus; qui etiam Patris sui Cari vitam scripsisse perhibetur. Occisus est ab Arrio Apro socero suo, qui ad imperium aspirabat, A. imp. 1. Mortem patris adeo flevisse perhibetur, ut pene oculos amiserit. *Vopisc. in Num.*

M. Aurelius Sabinus Julianus, Italiæ corrector, Carino imperante, imperium arripuit. Ab eodem in Campis Veronensibus occisus est juxta *Sext. Aur. Vict. de Cæsar.* at juxta *Hist. Aug. Epit.* Auctorem in Illyrico.

XLIV.

X L I V.









VALERIUS DIOCLETIANUS, JOVIUS, non tantum apud Auctores, ſed etiam aliquibus in Nummis cognominatus, ante imperium Diocles a Dioclea matre dictus, Salonis in Dalmatia ignobili genere ortus, Imperator factus eſt a militibus in Oriente, A. 284. Princeps fortis, & ſapiens; ſuperbus tamen, & ſupra modum crudelis. Aprum occidit, qui Numerianum ſuſtulerat; Ægyptum rebellantem compeſcuit ſublato Achilleo. Bagaudas in Gallia, quorum Duces Ælianus & Amandus tyrannidem arripere conabantur, per Maximianum Herculeum; Quinquegentianos in Africa tumultuantes, Perſaſque vicit; duxitque in trimphum Narſis ipſorum Regis uxorem. Chriſtianos ſæviſſimè perſecutus eſt. Depoſuit Imperium Nicomediæ, poſtquam ipſum per 20 annos tenuiſſet; inque ſuam Dalmatiam ſe recepit, ubi ſeptimo anno poſt obiit, ſumpto, ut plerique putant, veneno, A. ætat. 68, aut 78. *Vopiſc. in Num. Eutrop. libr. 9. Oroſ. libr. 7, capit. 25. Sex. Aur. Vict. Epit, & de Cæſar. Pompon. Læt. in Dioclet.*

Sere-

Carausius Hibernus purpuram sumpsit in Britannia. A Maximiano, qui eundem vincere non potuerat, pacem impetravit, unàque & imperium totius insulæ. Post 7 annos interfectus est dolo Allecti. *Eutrop. libr. 9. Pompon. Læt. in Dioclet.*

Allectus, Carausii familiaris, occiso ob regnandi libidinem Carausio, invasit Imperium. Oppressus est autem tertio circiter anno ab Asclepiodoro Constantii Chlori præfecto. *Auct. cit.*

Julianus quidam, si alter a Sabino Juliano est, in Italia hisce temporibus tyrannidem arripuit. A Ducibus Diocletiani victus, acto per costas pugione, in ignem se projecit. *S. Aur. Vict. Epit.*

XLV.



FLAVIUS VALERIUS CONSTANTIUS, e Dardania, *Chlorus* cognomento quòd pallidior esset, filius Eutropii & Claudiæ, de quibus jam supra dictum est, ab Impe-

Imperatore Herculio Cæsar electus, eodem in privatum secedente, Augustus est dictus A. 304, factusque est consors Armentario, de quo infra. Cessit ipsi Gallia, Germania, Italia, Hispania, & Africa, e quibus Africam, & Italiam collegæ reliquit. Fuit Princeps optimus, omnibus amabilis, liberalis, ac strenuus. Alemannos ingenti clade profligavit. Obiit Eboraci in Anglia repentino fato sublatus, A. æt. 56, imp. a Maximiano 2, ab accepto autem Cæsaris nomine 14. *Treb. Pol. in Claud. Sex. Aur. Vict. Eutrop. lib.* 10. *Pomp. Læt. in Const. Oros. lib.* 7, *cap.* 25.

Flavia Helena, e Britannia, genere, si plerisque credimus, obscurissimo, Constantii prima uxor. Ex hac natus Constantinus M. Repudiata est ex Maximiani Imperatoris jussu, ut ipsius filiam Fl. Maximianam Theodoram ejus loco Constantius uxorem duceret. Obiit sanctissima mulier Romæ juxta quosdam, quorum tamen infirma sententia est, supra Annum æt. 80. *Sext. Aur. Vict. Ruffin. lib.* 1, *cap.* 7. *Zonar. in Constant. Eutrop. lib.* 10.

Flavia Maximiana Theodora, Maximiani Herculii privigna (Eutropiæ scilicet ipsius uxoris ex priore marito filia) secunda uxor. Ex hac nati Haniballianus & Constantius. Alii Delmatium addunt, alii pro Delmatio alterum Constantinum, alii Haniballianum cum Delmatio confundunt. Filiæ verò ipsi fuerunt Constantia, Eutropia, & Anastasia. *Pomp. Læt. Oros. lib.* 7. *cap.* 25.

GALERIUS MAXIMIANUS, *Armentarius* cognomento quòd olim pastor fuisset, in Dacia ortus, a Diocletiano dictus est Cæsar Constantioque collega factus, inde autem cum eodem Augustus dictus est A. 304. Præfuit Illyrico, Græciæ, Orienti, iisque postea Provinciis, quas ipsi collegam cessisse jam diximus. Fuit libidinis, & crudelitatis immodicæ, & Christianos acerrimè persecutus est. Persas vicit cum Diocletiano. Contra Maxentium Severum misit, quo victo, ut dicemus suo loco, movit ipse ex Illyrico; sed, cum in itinere accepisset præsagium de militum suorum defectione si conflixisset, Illyricum repetiit

E Ibi-

Ibidem obiit ex ulcere inguinali, *justo Dei judicio, propter summam illam libidinem qua flagrabat*, ut ait *Theod. Meth.* vermibus miserè exesus. Quidam tradunt, ipsum sibi ex nimia vi doloris necem intulisse, A. imp. post Diocletianum 7. *Sext. Aur. Vict. Eutrop. libr.* 10. *Orosf. lib.* 7, *cap.* 25. *Euseb. lib.* 7, *cap.* 15.

Galeria Valeria, Diocletiani filia, Maximini uxor. *Sex. Aur. Vict. Eutrop. lib.* 9. Hac mortua, Diocletianus Imperator Susannam Gabinii affinis suis filiam eidem Armentario uxorem dare nitebatur; at Virgo Christianam se professa, constantissimè nuptias subire recusavit; quapropter ejusdem Imperatoris jussu intra domesticos parietes gladio necata est. *Baron. Ann. tom.* 2.

FLAVIUS VALENS, seu VALERIUS SEVERUS, Illyricianus, Armentarii ex sorore nepos, ab eodem unà cum Maximino Cæsar est renunciatus, præfectusque Italiæ, & Africæ. Contra Maxentium missus captus est, & occisus, seu Romæ, seu Ravennæ; variant enim auctores: Nec desunt qui referant, ipsum dolis Maximiani Herculii e Lucania Romam ad Maxentium filium pergentis circumventum fuisse. *Sext. Aur. Vict. Eutrop. lib.* 10. *Orosf. lib.* 7, *cap.* 25, *&* 28.

Severianus Severi hujus filius refertur a *Bandur.*

MAXIMINUS, DAZA dictus ante Imperium, Armentarii pariter ex sorore nepos, Cæsar unà cum Severo, ut diximus, creatus est ab avunculo, ipsique sunt Provinciæ Orientales assignatæ. Cum audivisset Licinium Augustum appellatum, ipse se quoque Imperatorem dici jussit. Sævissimus fuit, præsertim cum maderet vino, cujus erat avidissimus; pluraque adversùs Christianos edidit exempla immanitatis. Amator tamen Literatorum fuisse fertur. Suscepto contra Licinium bello, primo conflictu victor extitit, sed inde sæpius profligatus est; quare in fugam veluti se conjecit ex Illyrico, ubi fuerat pugnatum, obiitque Tarsi in Cilicia morbo ferè, quo avunculus.

lus. A. imp. circiter 8. Alii referunt, ipsum se strangulasse. *Sex. Aur. Vict. de Cæsar. Euseb. lib.* 8, *cap.* 16. *Eutrop. lib.* 10. *Pomp. Læt.*

Uxores ipsius liberosque a Licinio interfectos produnt scriptores; eorum tamen nomina ad nos non pervenerunt

Marcus Aurelius Valerius Maxentius, Maximiani Herculii & Eutropiæ filius, a Prætorianis Imperator factus est Romæ, quos ipse Constantini invidens gloriæ magnificis promissis ad scelus pellexerat, A. 306. Homo libidinosus, sævus, incantationibus addictus, in Christianos impius. A Constantino M. victus est ad Pontem Milvium, & Tiberi absorptus, A. ætat. 30, imp. 6. *Eutrop. lib.* 10. *Pomp. Læt. Oros. lib.* 7, *cap.* 28. Imperii 6. annos ipsi assignat etiam Nazarius in *Paneg. Constant. Aug. cap.* 33.

Magnia Urbica, pro Maxentii uxore accepta hactenus est, & filia Armentarii credita. V. *Occonem*, *Patinum*, & alios. Alii Magnentii uxorem existimant. *P. Harduinus* autem aut Carini, aut Numeriani. Singulas hasce sententias refellit *Cl. Genebrierius*, speciali Dissertatione, quæ Parisiis gallicè scripta primùm prodiit A. 1704; nititurque eam in Cari Imp. conjugem vindicare: Utque verum fateamur, non improbandis, plausibilibus quinimo conjecturis rem docet Auctor eruditissimus.

Romulus, Maxentii filius. A Patre factus est Cæsar, obiitque ante ipsum. Alterum Maxentio filium quidam Auctores tradunt, nomen tamen non indicant.

Alexander, seu Phryx, seu Pannonicus origine, Imperator apud Carthaginem factus est, A. 311, in odium Maxentii; statim verò a Ruffo Volusiano, quem Maxentius miserat, est oppressus. *Sext. Aur. Vict. de Cæsar. Zosim. lib.* 2.

Nigrinianus, seu Nigridianus, hactenus communiter pro Alexandri filio creditus est. Ita post *Tristanum Patinus*, aliique: At *Cl Genebrierius* modò laudatus, speciali Dissertatione Parisiis primùm A. 1704 impressa vulgatam refellit opinionem; ex literarum enim, quæ in Nummorum subsignatione visuntur, comparatione istis eum tempori-

bus abjudicat. Ad anteriora igitur ablegat, ut aut Aureliani nepotem, aut Numeriani filium adstruat. In hoc tamen minùs feliciter processisse nobis videtur, ac in Magnia Urbica, de qua supra; non mediocri tamen nihilominus laude & pro isto egregio conamine vir doctissimus dignus est judicandus.

Valens factus fuisse dicitur Imperator hisce temporibus, a Licinio autem morte mulctatus. *S. Aur. Vict. de Cæsar. & Epit.*

CAJUS VALERIUS LICINIANUS LICINIUS, gente ignobilis e Dacia, ab Armentario post occisum Severum Augustus dictus est, A. 308. Literatos omnes urbe depulit: In Christianos immanissimè sæviit: Maximinum, ut diximus, sæpius fudit. Cum Constantino M. quoque bellum gessit; primò propter persecutionem Christianorum, quibus Constantinus ipse favebat; secundò verò quòd provincias omnes Maximini sibi usurpaverat. Victus est autem primò in Pannonia, inde in Thracia, tandem in Asia prope Chalcedonem. Intercedente autem uxore Constantia pactus est cum Constantino pro vita, ut imperio se abdicaret; quare Thessalonicam privatus concessit. Sed cum ibi rursum nova moliretur, interfectus est a militibus, A. ætat. 60, imp. 16. *Sext. Aur. Vict. Pomp. Læt. in Licin. Eutrop. lib.* 10. *Oros. libr.* 7, *capit.* 28. *Anon. excerp.*

Constantia, Constantii Chlori ex Theodora filia, Constantini M. soror, Licinii uxor, quam duxit ipse Mediolani. *Sext. Aur. Vict. Eutrop. lib.* 10. *Ruffin. lib.* 1, *cap.* 11.

Licinius Junior, egregius juvenis optimæque indolis, Licinii & Constantiæ filius. A Constantino M. Cæsar factus est. Obiit ex Faustæ amitæ insidiis; verebatur enim, ne virtute sua filiorum suorum progressibus obesset. *Sex. Aur. Vict. Pomp. Læt.*

Martinianus, Officiorum Magister, Byzantii factus est Cæsar A. 324 a Licinio fugiente a clade Pannonica, Augustusque etiam dictus, ut constat ex Nummis. Duobus post

annis

annis jussu Constantini in Cappadocia occisus est, ibidem priùs relegatus statim ac victus fuerat, quod duos menses circiter postquam imperium usurpaverat contigisse quidam e Scriptoribus tradunt, non enim in hoc omnes conveniunt. *Sex. Aur. Vict. Anonym. excerp.*

XLVI.



FLAVIUS VALERIUS CONSTANTINUS, Constantii Chlori ex Helena filius, Cæsar jam electus a patre, eodem mortuo in Britannia Imperator a cunctis acclamatus est, Anno circiter 307 adnitente præsertim Eroco Alamannorum Rege, qui Constantium comitabatur. Patris igitur primò ditionem tenuit, inde paulatim auxit, donec tandem subacto Licinio totum Romanum Imperium solus obtinuit, A. 324. Hoc in Orientale, ac Occidentale distinxit; voluitque caput hujus Romam esse, illius verò Byzantium, quam urbem mirè ampliavit, communivit, ac dedicavit A. 330, novamque Romam dixit, ab ejusdem postea nomine Constantinopolim appellatam. Princeps virtutibus cumulatus, qui & Rempublicam sapienter administravit, & virtute bellica nulli secundus extitit. Vicit Sarmatas, Gothos, aliosque Romani nominis hostes; Tyrannos quoque repressit, & extinxit. Quocirca innumeris clarus victoriis Magni cognomen Imperatorum primus reportavit. Christianis favit semper, & Ecclesiasticis summa privilegia concessit. Baptismum suum distulisse fertur a quibusdam, nec ipsum accepisse nisi morti proximus, ab Eusebio Episcopo Nicomediensi. *Zonaras* tamen, aliique communiùs tradunt eundem a Sylvestro Romano Pontifice baptizatum,

Sed quæcunque inter Constantinum & Sylvestrum intercessisse a nonnullis referuntur (ut baptizatio prædicta, donatio Romanæ Urbis eidem Pontifici, curatio Imperatoris a lepra per eundem, & si quæ sunt alia) ita variè tradi videmus, ut affirmare ipsa historicè non audeamus, sed attingamus tantùm, feliciori consultationi veritatem eruendam relinquentes. Obiit optimus Imperator Nicomediæ; creditur-que ex veneno fraude domesticorum, A. æt. 63, aut 65 circiter, imp. post Licinium 13; cùm a patris morte per annos 31 Romanis rebus præfuisset. *Sex. Aur. Vict. Eutrop. l.*10. *Euseb. in vit. Const. Oros. l.*7, *c.*28. *Zonar. in Constant.*

Minervina Constantini prima uxor. Genuit Crispum. *Sex. Aur. Vict. Epit.* ipsam dicit concubinam.

Flavia Maxima seu Maximiana Fausta, Maximiani Herculii filia, secunda uxor; ita ut pater & filius duas ejusdem Maximiani filias sibi jugaverint, ut adnotat *Zonar. in Constantino.* Genuit Constantinum Juniorem, Constantium, Constantem, Constantiam seu Constantinam, & Helenam. Ejusdem artibus privignus Crispus sublatus est, ut infra dicemus: Dolo autem detecto, jussit ipsam Constantinus in accensum balneum includi, cujus nimio calore extincta est. *Pomp. Læt. Zonar. in Constant. Eutrop. l.*10.

Non prætermittemus Bassianum quoque Cæsarem inserere, quamvis a plerisque vix nominetur. Misit igitur Constantinus M. Constantium ad Licinium Imperatorem collegam suum, ut Bassianus hic Cæsar crearetur, & inter eosdem medius Italiam obtineret. Talia verò frustrante Licinio, movit Bassianus in Constantinum; sed in conatu deprehensus, ejusdem jussu sublatus est. *Anon. excerp.*

Anastasia, Constantini Chlori & Fl. Maximianæ Theodoræ filia, Constantini M. soror, Bassiani uxor. *Idem.*

Fl. Julius Crispus, Constantini M. ex Minervina filius, A Patre factus est Cæsar, A. 317. Hunc Fausta noverca odio habens (verebatur enim ne peritia, & fortitudine militari filiorum suorum famæ atque incrementis labem inferret) patri accusavit, tanquàm se de incæstu tentasset: Quocirca ejusdem jussu interfectus est Polæ in Istria.

Istria. A. 326. *Sex. Aur. Vict. Pomp. Læt. in Constant.*

Uxorem huic Helenam nomine fuisse docet ex Theodosiano Codice *Bandurius*.

XLVII.



FLAVIUS CONSTANTINUS JUNIOR, Magni & Faustæ filius natu major, mortuo patre, Imperio cum fratribus potitus est, A. 337; ipsique cessit Europa trans Alpes. Fuit ingenio superbus, & inquietus; quare sibi assignatæ ditioni non acquiescens, jura fratris Constantis invasit; & Aquilejam usque validissimis viribus pervenit. Ibidem verò collata manu, insidiis circumventus dejectus est equo, & confossus, A. ætat. 25, imp. 3. *Sext. Aur. Vict. Pomp. Læt. in divis. Imp. Rom. Eutrop. lib.* 10. *Oros. l.* 7, *cap.* 29.

Uxores habuit duas. Primam sibi desponsam a Patre; alteram, cum jam Augustus esset, ex Hispania Virginem quandam nobilissimam. *Valesius in not. ad Am. Marcel. lib.* 14, *cap.* 1, *ex Euseb. & aliis*.

FLAVIUS CONSTANS, alter Magni & Faustæ filius, Italiam, Illyricum, Græciam, & Africam sortitus est; occisoque fratre ejusdem quoque Provincias sui juris fecit. Bellicæ virtutis, ac justitiæ primò specimina exhibuit; mox verò ad delicias, & ignaviam deflexit animum, pecuniæque tenax factus est: Militum idcirco animos in se convertit; contraque ipsum insurrexit Augustæ Vindelicorum, sive Augustoduni, ut maluntalii, Magnentius. Hic etiam milites misit, qui Imperatorem cubantem in tentorio, exque venatione, qua mire delectabatur, delassatum interfecerunt, non longe ab Hispaniis, in oppido, cui nomen *Helenæ*, A. ætat. 30, imper. 13. *Auctores citati. Sext. Aur. Vict. Epit.* annos ipsi ætatis 27, *Eutropius* autem Imperii 17 attribuunt.

FLAVIUS VALERIUS CONSTANTIUS, Magni & Faustæ filius, Orientalibus provinciis primò ex rerum divisione præfuit; fratribus inde mortuis toto Romano Imperio potitus est, quod contigit Anno circiter 350. Princeps impius, ambitiosus, ingeniique levioris; Arrianis enixè favit, Catholicosque acriter est insecutus. Tyrannos Magnentium, Vetranionem, Sylvanumque sustulit. Sarmatas feliciter vicit; quare Sarmaticus dictus est: Parum verò prospere pugnavit cum Persis. Obiit apud Mopsocrenen in Cilicia, ad Tauri montis radices, ex febri, A. ætat. 41, seu 45, imp. 24. *Auct. cit.*

Aurelia Eusebia, Constantii juxta quosdam prima uxor, secunda juxta alios, qui huic tres uxores adscribunt, & primam Constantii patrui sui filiam fuisse contendunt, quo nomine incertum. Impudica mulier; a marito tamen supra cæteras amata, quamvis etiam sterilis fuerit. *Sext. Aur. Vict. Am. Marcel. lib.* 16, *cap.* 10.

Maxima Faustina, ultima uxor. Ex hac nata est Constantia Posthuma, Gratiani Imperatoris uxor. *Pomp. Læt. in Constant. Am. Marcell. lib.* 21, *cap.* 16.

Fl.

Fl. Julius Delmatius, nepos Constantini M. ex fratre Haniballiano, quem alii Delmatium vocant, a patruo factus est Cæsar A. 335, ipsique Thracia, Macedonia, aliæque provinciæ assignatæ. Occisus est autem in Oriente in factione militari, non repugnante, immo consentiente potius, ut creditur, Constantio Imperatore, postquam tres annos rebus præfuisset. *Sext. Aur. Vict. Pomp. Laet. in Const. Zosim. lib. 2. Anon. excerp.*

Fl. Claudius Hanniballianus, seu Anaballianus, Delmatii Cæsaris frater, Rex Regum & Ponticarum gentium dictus est, & Nobilissimatus dignitate decoratus. Ipse quoque Constantii artibus periit. Hoc idem contigit & Constantio Constantini M. fratri, qui eandem obtinuerat Nobilissimatus dignitatem. *Auctores cit.*

Constantia, seu Constantina, Constantini M. & Faustæ filia, Haniballiani uxor. Nupsit postea Constantio Gallo, ut infra.

Magnentius, in Gallia ortus e parentibus Britannis, contra Constantem, ut diximus, Imperium arripuit, A. 350. Homo ingratissimus, qui vitam illi rapuerit, a quo paulo ante fuerat in factione militari servatus, objecto paludamento. A Constantio, qui prius ipsi frustra æquas pacis conditiones obtulerat, ingenti clade fusus est ad Mursam, in qua tamen penè victo similis victor fuit. Bis rursum conflixit iniquo marte Magnentius, qui Lugdunum inde fugit bellum reparaturus; sed ibi obsessus, necem sibi intulit, A. ætat. 50, imp. circiter 4. *Oros. l. 7. c. 29. Pomp. Laet. in Magn.*

Flavia Justina, Magnentii uxor; deinde Valentiniani Imperatoris.

Magnus Decentius, Magnentii frater, ab eodem factus est Cæsar Mediolani, A. 351, & Galliis præpositus. Audita fratris morte, laqueo vitam sibi eripuit, apud Senonas, A. imp. saltem 2, ut patet ex Nummis. *Oros. ibid.*

Desiderius, Magnentii ac Decentii frater, unà cum hoc Cęsar est declaratus. A fratre Magnentio in furorem ex desperatione converso, dum morti proximus esset, vulne-

vulneratus est; ex vulnere verò convalescens, supplicem se se exhibuit Constantio, veniamque obtinuit. *Ibid. Z nar. in Constant.*

Flavius Popilius Nepotianus, quem *Sex. Aur. Vict. de Cæsar.* Potentianum appellat, Constantini M. ex sorore Eutropia nepos, occiso per Magnentium Constante Imperatore, Augustum se Romæ constituit A. 350 circiter. Post 28 dies obtruncatus est ab Heraclida, (alii vocant Anicetum) Magnentianæ factionis viro, ab eodem dolosè ad colloquium adductus. *Sex. Aur. Vict. Epit. Eutrop. lib.* 10. *Oros. lib.* 7, *c.* 29.

Vetranio, seu Britannio (nota obiter a quodam recentiore perperam Vetranionem, & Britannionem distinctè recenseri pro duobus tyrannis) Pannonici rector exercitus, Imperator dictus est apud Mursam post occisum Constantem A. 350. Stratagemate a Constantio victus, ac regno est exutus post menses decem circiter; veniam tamen, & voluntarium otium impetravit; obiitque sexennio post in Bithynia. Fuit probus, & morum prorsus veterum, literarum autem omnino expers; & usque ad stultitiam ferme simplicissimus, qui prima elementa ipsarum nonnisi grandævus acquisierit. *Ibid. Pomp. Læt. in Britan.*

Sylvanus, Bonitii viri Franci filius, ingenio blandissimus, a Constantio missus in Galliam contra Germanos, Imperatoris nomen Coloniæ assumpsit, coactè tamen potiùs, quàm voluntariè. Contra ipsum misit Constantius Ursicinum præfectum, cujus suasu milites, facto de industria tumultu, tyrannum occiderunt, imp. mense primo, A. 355. *Ibid. Am. Marcel. lib.* 15. *c.* 5.

Gallus, seu Constantius Gallus, Constantii Constantini M. fratris & Gallæ filius, Iuliani Imperator frater, a Constantio Patruele suo Cæsar factus est A. 351; relictusque Orientis moderator, cùm ipse tenderet contra Magnentium. Multa in Oriente ferociter & crudeliter gessit, instigante præcipuè uxore: Quare ab Imperatore in Italiam per speciem consultationis habendæ vocatus,

pus, cùm non longè ab Istria esset, a præsidiariis Imperialibus captus est, & Polam ductus, ubi revinctis post terga manibus obtruncatus est, A. 354, cùm imperasset annos 3. *Eutrop. Lib.* 10. *Am. Marcell. lib.* 14, *cap.* 1. *&c. item* 11. *Pomp. Læt. in Gal. P. Harduinus*, & *Genebrierius* ipsi Nummos aliquot ex iis adjudicant, in quibus *Constantius Junior* legitur, quos Antiquariorum reliqui Constantii Constantini M. filii semper judicarunt.

Constantia, seu Constantina, Constantini M. filia, Galli uxor, priùs autem Haniballiani, ut supra. Femina ferox & truculenta. Obiit ex febri in itinere, quo ad fratrem suum Constantium ferebatur. *Sext. Aur. Vict. Pomp. Læt. Am. Marcel. loc. cit.*

Saturninum Tyrannum hisce temporibus conjecturarum vi affigit *Cl. Bandurius*, cùm nimirum ejusdem Nummus eadem epigraphe insignitus appareat, quâ Constantis, Constantii, aliorumque contemporaneorum Numismata. Cæterum de hoc Tyranno apud Historicos nulla mentio.

XLVIII.







FLAVIUS CLAUDIUS JULIANUS, *Apostata* cognominatus, & *Parabata* apud Svidam quod a Christi fide ad cultum Idolorum desciverit, Constantii & Basilinæ filius, Galli Cæsaris frater, a Constantio Imperatore Cæsar post Galli obitum constitutus, Imperium obtinuit solus, A. 361. Favit literatis, fuitque assiduus in studiis, moribus alioquin truculentus, Christianorumque sævissimus persecutor. Cum adhuc Cæsar esset

esset missus ab Imperatore in Gallias, Barbaros omnes undequaque vicit, & compescuit. Expeditionem suscepit adversus Persas, primoque congressu pugnavit feliciter; sed, conflictu rursum habito, vulneratus est, dubium a Persane, an a Dœmone: Dumque moreretur, sanguinem manu haustum e vulnere in aerem projecit, his vocibus *Vicisti Galilæe*. Obiit A. ætat. 31, imp. 2. *Sext. Aur. Vict. Eutrop. lib.* 10. *Am. Marcel. lib.* 15, *c.* 8, *&* *l.* 25. *cap.* 3. *Oros. lib.* 7, *cap.* 30. *Pomp. Læt. in Jul.*

Flavia Julia Helena, Constantini M. filia, Juliani uxor. Huic Eusebia Constantii conjux poculum dedit, ut quotiescunque gravida fieret, abortum pateretur. Obiit ex partu. *Am. Marcel. lib.* 16, *cap.* 10. *& lib.* 21. *c.* 1.

Adnotandum hic judicamus, *Cl. Bandurium*, in ea esse opinione, ut Nummi, in quibus *Fl. Maxim. Helena* legitur, Juliani uxori adjudicentur; in quibus verò *Fl. Jul.* est, ii Constantii Chlori conjugi. Qui verò *N. F.* literas præferunt, hoc est *Nobilissima Fœmina*, eos ad Crispi Helenam reponit. Idem laudatus Auctor Nummos, in quibus *Isis Faria* legitur, qualis hic a nobis affertur, juxta communiorem opinionem olim cusus, ab Helenæ Julianææ Nummis explodere videtur.

XLIX.

XLIX.



FLAVIUS JOVIANUS, quem alii Juvianum appellant, alii Jovinianum, Varronniani viri præclari e Pannonia filius, occiſo Juliano, Imperator renunciatus eſt a militibus A. 363. Princeps pius, Chriſtianorum amator, pacique addictior quam bellis. Quare pacem fecit cum Perſis, non ſine P. R ignominia, nam ex eadem Imperii fines non parum diminuti ſunt; ideoque multis etiam ſcommatibus exceptus eſt. Obiit in oppido, cui nomen Dadaſthanæ, inter Galatiam & Bithyniam, ſeu ex cruditate ſtomachi, ſeu ex noxio halitu cubiculi, in quod recens calce illitum prunæ fuerant importatæ, A. ætat. 33, imper. menſe 8. *Sext. Aur. Vict. Epit. Eutrop. libr.* 10. *Am. Marc. lib.* 25, *cap.* 6. *Ruffin. lib.* 2, *cap.* 1. *Oroſ. lib.* 7, *cap.* 31.

Charita, quam alii vocant Charitem, alii Charitonem, Lucilliani filia, Joviani Uxor. Genuit Varronianum, ſeu Valonianum, ut a quibuſdam ſcribitur, quem pater creavit conſulem; ſed nunquam induci potuit ut curuli ſella veheretur. *Am. Marcel. lib.* 25, *cap.* 10. *Cedren. Zonar. in Jov.*

Joviano mortuo ſuffragiis omnium deſignatus fuerat Imperator Salluſtius Præfectus-prætorio, qui recuſavit Imperium, ſeneſtutem cauſatus. In ejuſdem inde filium ſtudia concurrebant; at pater pro eodem pariter Imperium deprecatus eſt, quòd nimiùm juvenis eſſet. *Zoſim. lib.* 3, *in fine. Zon. in Jov.*

L.

L.







FLAVIUS VALENTINIANUS, ex oppido Pannoniæ Cibala, non longe a Belgrado, Gratiani filius, qui Funarius dicebatur quòd eidem funem portanti quinque robusti milites extorquere nequiverint, Imperator electus est Nicææ, A. 364. Fratrem Valentem consortem fecit imperii, Orientque ipsi demandavit, Occidentalibus sibi provinciis reservatis. Princeps pius, justus, rei militaris peritus, ingenio solers, sermone disertus, ad iracundiam verò pronior. Saxones vicit, & Alemannos. Obiit apoplexia correptus ex iracundia, dum Quadorum latrocinia excusantium legatos audiret, ad Brigionem oppidum in Silesia, A. ætat. 55, imp. 12. *Paul. Diac. lib. 1. Am. Marcel. lib. 26, cap. 2, & l. 30, cap. 6. Pomp. Lat. in Valent.*

Valeria Severa, Valentiniani uxor, ex qua natus Gratianus. *Socrat. lib. 4. cap. 26.*

Flavia Justina, Magnentii primùm uxor, inde Valentiniani secundo loco repudiata Severa. Genuit Valentinianum Juniorem, Justam, Gratam, & Gallam. *Am. Marcel. l. 30. c. ult. Paul. Diac. l. 1. Zonar. in Valent. Zosim. libr. 4.*

Firmus, seu Thirmus, ut est apud *P. Diaconum*, Valentiniani temporibus apud Mauritaniam, cujus Principis Nubeli filius fuisse traditur, Imperium arripuit: Quidam tamen dicunt, ipsum se Regem tantùm, non Imperatorem appellasse. A Theodosii M. patre victus, eidem supplicem se se exhibuit, veniamque obtinuit. Nova inde

cu-

cupiens ad Isaflenses confugit, a quorum Rege captus est, sed, ne Theodosio traderetur, sibi fauces elisit. A. 374, aut 375. *Am. Marcel. l. 29, c. 5, & 6. Paul. Diac. l. 1.*

Valentinus, seu Valentinianus, iisdem temporibus tyrannidem affectavit in Britannia, sed statim oppressus est *Zosim. lib. 4.*

FLAVIUS VALENS, Valentiniani frater, ab eodem factus est, ut diximus, Imperator, & Orienti præfectus A. 364. Fratri dissimillimus crudeliter se gessit, Arianaque infectus hæresi Orthodoxos est insecutus. Procopium tyrannum sustulit; cum Gothis, & Persis ancipiti pugnavit marte. Rursum contra Gothos movens, victus est ab iisdem circa Hadrianopolim; ipseque e conflictu vulneratus in tugurium se recepit, ubi injecto ab hostibus igne consumptus est, A. æt. 50, imp. 15. Alii saucium e pugna inter fomenta ministrantium periisse tradunt. *Sext. Aur. Vict. Paul. Diac. libr. 1. Am. Marcel. lib. 26, cap. 4. & lib. 31, cap. 13. Pomp. Læt. in Valent.*

Albia Domitia, seu Dominica, seu Domnica, Valentis uxor. Fœmina callidissima, & impia, cujus monitu ipse quoque maritus veramfidem fertur rejecisse. *Paul. Diac. Pomp. Læt.*

Procopius Cilix, Juliani Imperatoris cognatus, Imperium sibi usurpavit Constantinopoli, nonnullasque Provincias Orientis sui juris fecit. A. 365. Contra ipsum movit Valens; tyrannusque a suis derelictus est, & a Gomario atque Agelone, quos sibi sperabat fideles futuros, vinctus Imperatori traditus A. æt. 41, imp. mense octavo. Ipse captivum discerpi, inde proditores quoque supplicio affici jussit. *Am. Marcel. lib. 26, c. 6, & 9. Sext. Aur. Vict. Oros. lib. 7, cap. 32. Sozom. lib. 6, cap. 8.*

LI.

L I.









FLAVIUS GRATIANUS, Valentiniani ex Severa filius, a Patre factus jam Cæsar & Augustus, Imperium solus patruo mortuo assecutus est, A. 378. Princeps humanus, liberalis, religiosus, paternæque in Catholicos hæres pietatis. Alemannos domuit, Gothos, aliosque Barbaros per Theodosium M. oppressit, quem etiam ad imperii consortium vocavit. Factus autem in administranda Republica negligens, barbaros etiam milites Romanis prætulit, qui hoc ægrè ferentes, cum adversum Tyrannum Maximum pugnandum esset, defecerunt prope Lugdunum; ipseque Imperator ab Andragatio ejusdem Maximi præfecto per dolum occisus est, A. ætat. 29, imper. a patrui morte 5. *Sext. Aur. Vict. Paul. Diac. libr.* 1. *Cassiod. Am. Marcel. lib.* 27, *cap.* 6. *Cedren. in Grat.*

Fl. Maxima Constantia Posthuma, Imperatoris Constantii & Faustinæ filia, Gratiani uxor. *Am. Marcel. lib.* 21, *cap.* 16.

Læta, aliis Creusa dicta, Pissamenæ filia, Gratiani altera uxor, quæ post Mariti obitum Romæ sub Theodosio

vixit,

vixit, ex ejus liberalitate unà cum matre ære Fiſci menſæ regiæ apparatu gaudens. *Zoſim. lib.* 5.

FLAVIUS VALENTINIANUS JUNIOR, Senioris e Juſtina filius, Gratiani frater, Auguſtus adhuc puerulus renunciatus, ſive ab exercitu, ſive a fratre ſecundùm alios, imperavit cum eodem; Orientaleſque, ac Meridionales provinciæ ipſi contigere. Ex educatione impiæ matris Arrianam hæreſim profeſſus, Orthodoxis acerbiſſimum ſe præbuit. Strangulatus eſt apud Viennam Galliæ ab Arbogaſte, qui dignitate Comitis a Gratiano donatus, ita ex auctoritate atque arbitrio res aulæ adminiſtrabat, ut Imperator ipſi ſubeſſe cogeretur. Obiit A. æt. 26, imp. poſt patruum Valentem 16. *Paul. Diac. lib.* 2. *Pomp. Læt. in Valent. Oroſ. lib.* 7, *cap.* 35.

Flavius Magnus Maximus, ſeu Maximianus, quem e Conſtantini genere fuiſſe multi tradunt, Tyrannidem arripuit in Britannia A. 383; eandemque per Gallias exercuit. Vir alioquin fortis, & ſtrenuus, inque expeditionibus adverſùs Barbaros probatus. Victus eſt a Theodoſio ad Siſciam, ſive amnem, ſive urbem; inde Aquilejæ captus, ab ejuſdem militibus interfectus eſt, A. 388. *Sext. Aur. Vict. Paul. Diac. lib* 1, *&* 2. *Pomp. Læt. in Valent. & Theod. Oroſ. lib.* 7, *cap.* 35.

Flavius Victor, Maximi filius. A Patre Cæſar eſt factus; ipſo autem ſublato, ab Arbogaſte, ſeu juxta alios a Theodoſii militibus eſt occiſus. *Sext. Aur. Vict. Paul. Diac. lib.* 2.

L I I.



FLAVIUS THEODOSIUS, Honorii & Thermantiæ filius, genere nobilissimus ex Hispaniæ urbe Italica, a Gratiano prope Sirmium evectus ad Imperium A. 379, solus idem post Valentinianum Juniorem obtinuit, A. 392. Imperator pietate, clementia, fortitudine, moderatione nulli secundus, qui & Magnus idcirco solet appellari. Tyrannos Maximum, Eugenium, & Arbogastem sustulit. Obiit ex Hydrope Mediolani A. ætat. 50, aut juxta alios 60, imp. post Valentinianum 3, ab electione autem sua per Gratianum facta 16. *Sext. Aur. Vict. Pomp. Læt. in Theod. Paul. Diac. lib.* 2.

Ælia Flacilla (*D. Niceph.* Placilla) Theodosii prima uxor; fœmina pietate, & liberalitate in pauperes insigni. Ex hac nati Arcadius, & Honorius. *Pomp. Læt. Zonar. in Theod.*

Galla, Valentiniani Senioris filia, secunda uxor. Genuit Gallam Placidiam matrem Valentiniani III. *Paul. Diac. lib.* 2. *Jornand. de reb. Get.* §. 54.

Eugenius, genere Francus, Rhetor olim, ab Arbogaste qui Valentinianum occiderat, Imperator factus est A. 392, & ingenti exercitu contra Theodosium missus. Pugnatum primò est prope Aquilejam vario marte; postridie verò collatis iterum signis, Eugenii copiæ, non sine divino numine, fractę jam ad Theodosium defecerunt, vinctumque Imperatori Tyrannum exhibuerunt, qui statim ad ejusdem pedes occisus est, post annos duos, & menses aliquot tyrannidis usurpatæ. Arbogastes, qui secutus fuerat sem-

semper Eugenium, fugâ lapsus, non multò post se ipsum interfecit: *Paul. Diac. l. 2. Oros. lib. 7, cap. 35. Pomp. Læt. in Theod.*

L I I I.





ARCADIUS, Theodosii & Flacillæ filius, à Patre factus unà cum fratre Honorio Imperii consors, cœpit imperare post patrem, A. 395, sub tutela Ruffini, & Orientis partes ex testamento sortitus est. Princeps mansuetus, & pacificus, sed infelix. Tutor enim ipsius Ruffinus principi pupilloque infidus, Gothorum Ducem Alaricum vocavit, ut arma verteret in Arcadium. Alaricus tamen per Gainam à Stilicone Honorii tutore missum repulsus est, statimque Ruffinus trucidatus. Supplicio affecti sunt quoque Eutropius eunuchus, cujus magna erat apud Imperatorem auctoritas, quique imperium etiam aucupabatur; Gaina, quem alii Cajanum vocant, qui tyrannidem pariter affectabat, struebatque insidias Imperatori; & Gildo, qui sibi Africam usurpaverat. Obiit Arcadius Byzantii, Ætat. circiter 31, imp. post patrem 13. *Paul. Diac. lib. 3. Socrat. lib. 6, cap. 21. Pompon. Læt. in Theod.*

Ælia Eudocia, Arcadii uxor. Genuit Theodosium Juniorem, Flacillam, Martinam seu Martianam, aliis etiam Marinam dictam, & Pulcheriam. *Pomp. Læt. loc. cit.*

Observamus & Singleidem nominari inter Arcadii Eudoxieque filias a *P. Benedicto Bacchinio Ab. Cassin. Observat. ad Agnelli lib. Pontif. Ravenn. Pag.* 316.

HONORIUS, Arcadii frater, cum eodem Imperium obtinuit sub tutela Stiliconis hominis Vandali, pręfuitque Occidenti. Princeps negligens, ignavus, & a re bellica prorsus alienus. Contra hunc quoque tutor Stilico Alaricum pridem a se victum excitare conatus est; sed Barbarus perfidiam detestatus ingenti prelio Romanas acies profligavit, totamque ferè devastavit Italiam, & urbem Romam incendit. Re ad Honorium pro veritate delata, ipse proditorem Stiliconem, ejusque filium Eucherium Imperium affectantem jussit occidi. Prçter hos sustulit per Constantium cognatum suum Tyrannos, Gratianum in Britannia, Constantinum in Gallia, & alios, quos infra numerabimus; per Marinum quoque Ducem suum Heraclianum Africæ Comitem, qui cum innumera classe ex provincia solverat versus Italiam, eandem devastaturus. Obiit Romæ ex aqua intercuti, A. æt. 39, aut 40, imp. post patrem 28. *Paul. Diac. lib.* 4. *Pomp. Læt. loc. cit. Oros. libr.* 7, *capit.* 42.

Maria, Stiliconis filia, Honorii prima uxor. Obiit repente antequam accederet ad maritum. *Paul. Diac. lib.* 4. *Jornand. de reb. Get.* §. 52.

Æmilia Materna Thermantia, quam alii vocant Hermantiam, Mariæ soror, secunda uxor. Ipsa quoque ante nuptias repentina morte occubuit. *Auct. cit.* Ab aliis repudiata fuisse dicitur.

Constantius, vir strenuus & bellicosus, cum Imperium a barbaris ac tyrannis premeretur, missus est ab Honorio in Gallias cum exercitu; inde Cæsar etiam, & imperii consors factus est apud Ravennam A. 421. Hic & hostes compescuit, & tyrannos omnes extinxit. Obiit septimo mense ab electione, ex mœrore, sive ex pleuritide. *Paul. Diac. lib.* 4. *Oros. lib.* 7, *cap.* 40.

Galla Placidia, Arcadii & Honorii soror, Ataupho Gothorum Regi apud Forum Cornelii connubio juncta priùs est, postea Constantio ab Honorio jugata. Genuit Valentinianum III, & Honoriam, Justam Gratam prænomi-

nomine, ut ex ejus Nummo àureo apud *Emin. Norisium* adnotat *Mediobarbus*. *Auctores cit. Sozom. lib.* 9. *cap.* 16.

Gratianus, Britanniæ municeps, tyrannidem ibidem arripuit: Post quatuor verò menses circiter sublatus est. *Paul. Diac. lib.* 3. *Oros. lib.* 7, *cap.* 40.

Constantinus, vir ex infima militia, occiso Gratiano, Imperator a militibus in Britannia A. 407 ex nominis omine dictus est, statimque transiit in Gallias. A Constantio Cæsare oppressus est apud Arelatem. *Paul. Diac. lib.* 3, & 4. *Oros. loc. cit.*

Constans, Constantini filius. Patri consors in tyrannide, per emptus est Viennæ in Gallia a Geruntio comite suo. *Auct. cit.*

Maximus, a Geruntio occiso Constanti suffectus est, A. 409. A militibus desertus, in Hispaniam se recepit, ibique exulans obiit. *Paul. Diac. lib.* 4. *Oros. lib.* 7, *cap.* 42.

Jovinus, Gallorum nobilissimus in Galliis Imperatorem se constituit, A. 411; sed altero post anno Valentiæ captus, imperio exutus est. *Auctores cit. Jornand. de reb. Get.*

Sebastianus, Jovini frater. Ipse quoque tyrannidem A. 412 degustavit; sed continuò ut est creatus depositus est, & occisus. *Auct. cit.*

Priscus Attalus, Romanus non ignobilis, a Gothis Urbe capta & devastata, Imperator factus est, & ductus in Africam, tanquam Imperii simulachrum. Cum autem in Africa res novas moliretur, ad Constantium Cæsarem vinctus est deductus, inde ad Honorium missus. Ab hoc in triumphum revinctis post terga manibus tractus, dexteraque abscissa Liparam est relegatus. *Auctores cit. Sozom. lib.* 9, *cap.* 8. *Zosim. lib.* 6.

Marcus quidam in Britannia A. 407, a militibus seditione concitata, Imperator factus est; at non multo post ipsi eundem, tanquam eorum moribus non respondentem, interfecerunt.

L I V.





THEODOSIUS JUNIOR, seu II, Arcadii & Eudociæ filius, a patre jam creatus Augustus, imperavit cum patruo Honorio; inde totum solus obtinuit imperium A. 423. A Patre in tutorem acceperat Isdigerdem Persarum Regem; imperium ferè tamen Anthemii consiliis administravit. Princeps pius, mansuetus, orationi, & sacrorum librorum lecturæ addictissimus. Accademias Bononiæ, & Constantinopoli instituit, & per Jurisconsultos suos Theodosianum Codicem evulgavit, Valentinianum consobrinum suum Cæsarem, & Augustum elegit, & Occidentis partibus præfecit. Johannem tyrannum oppressit. Ab Attila vero Hunnorum Rege innumeris damnis affectus, annuo tributo pacem emere coactus est. Obiit apud Constantinopolim, sive ex morbo, sive ex lapsu ab equo, A. ætat 49, aut 50, imp. ab Honorii morte 27. *Paul. Diac. lib. 4. Zonar. in Theod. Socrat. libr. 7, capit. 1, &c.*

Ælia Eudoxia, primùm Athenais appellata, Leontii Atheniensis Philosophi filia, Theodosii uxor. Fœmina in omni doctrinæ ac eloquentiæ genere exercitata, quæ etiam Poemata scripsisse fertur. Iratum ob levem suspicionem maritum sentiens Hierosolymam petiit, ubi templa plura construxit. Obiit post maritum, genuitque Liciniam Eudoxiam. *Zonar. in Theod.*

Johannes, Imperialium Scribarum princeps, Imperium Theodosio mortuo arripuit A. 423. Contra ipsum missus est ab Imperatore Ardaburius, qui tempestate Ravennam

pulsus

pulsus in Tyranni manus pervenit. Aspar autem Ardaburii filius, per insigne Dei miraculum introductis Ravennam copiis, post duos annos tyrannum oppressit, ac patrem liberavit, plurimasque Occidentis provincias sui juris fecit. *Paul. Diac. lib.* 4. *Socrat. lib.* 7, *cap.* 23. *Pomp. Læt. in Theod.*

L V.





VALENTINIANUS III, Placidus seu Placidius prænomine, Constantii Cæsaris & Gallæ Placidiæ filius, a Theodosio Juniore ad Imperii consortium vocatus A. circiter 425, eodem mortuo regnavit solus in Occidente, A 450. Princeps omnibus ferè vitiis inquinatus, crudelitate præsertim, ac libidine. Ductu Ætii Attilam in Campis Catalaunicis vicit, auxilio fultus Burgundionum, Francorum, Alemannorum, & Gothorum, quorum Rex Theodericus in ea pugna concidit. Dimissis autem incautè ab Ætio sociis, animos viresque resumpsit Attila, & Italiam fœdissimè devastavit, donec, ipsi occurrente Leone Pontifice, non tantùm Romæ, sed & universæ provinciæ pepercit, adque suas Pannonias reversus est. Valentinianus autem Ætii magnitudinem suspectam habens, eundem manu sua, ut multi referunt, interfecit. Anno vero sequenti occisus ipse est a Trasila, & Optila Ætii militibus, instigante Maximo, de quo infra, A. ætat. 36, imp. a mortuo Theodosio 5. *Paul. Diac. lib.* 5. *Cassiod. Jornand. de regn. ac temp. success. Pomp. Læt. in Valent.*

Licinia Eudoxia (*D. Niceph.* Eudocia) Theodosii Ju-

nioris & Æliæ Eudoxiæ filia, Valentiniani uxor. Hanc viduam Maximus sibi rapuit: Ipsa vero mariti necem ultura, Gensericum Gothorum Regem accersivit ex Africa, qui Maximum sustulit, Eudoxiam verò cum filiabus, Placidia & Eudoxia secum in Africam abduxit. *Paul. Diacon. lib. 4, & 5. Cedren. in Valent.*

Defecit in Valentiniano III Imperii majestas in Occidente: Quamvis enim Imperatoris nomine per aliquot deinceps annos nonnulli præfuerint, isti tamen tanquam pro illegitimis a plerisque recensentur; & sanè supra Imperii insignia nihil fere obtinuerunt. Numerabimus ergo primo loco Orientales, quibus eos, qui in Occidente regnarunt, tanquam minoris notæ subjiciemus.

L V I.







FLAVIUS VALERIUS MARCIANUS, humili loco in Thracia sive Illyrico natus, sed militia clarus, a Pulcheria Arcadii filia in maritum, & Orientis Imperatorem assumptus est, regnante in Occidente Valentiniano, A. 450. Imperium pacavit, pacem coluit, favit Christianis, Princeps Constantino Magno facilè comparandus. Obiit admodum senex apud Constantinopolim; crediturque veneno sublatus Asparis Patritii fraude, A. ætat. 65, imper. circiter 7. *Paul. Diac. lib. 5. Jornand. de reg. ac temp. suc. Evagr. lib. 2, capit. 1, & 8. Pomp. Læt. in Marc.*

Ælia Pulcheria, Imperatoris Arcadii filia, Theodosii II soror, Marciani uxor. Hæc ipsi conjugium suum, Imperiumque obtulit, hac conditione, ut pudicitiæ suæ vim

vim non inferret, ſed caſtam vivere pateretur. Virginitatem igitur ſemper ſervavit; obiitque pia mulier, quam etiam inter Sanctas recenſeri obſervamus, anno, Marciani Imper. 3. *Jornand. loc. cit. Zonar. in Marc. Cedren.*

FLAVIUS ANICIUS PETRONIUS MAXIMUS, qui Maximi illius a Seniore Theodoſio ſublati nepos perhibetur, cæſo Valentiniano, Imperium viduamque Eudoxiam ſibi rapuit, A. 455. Capta urbe a Genſerico, quem, ut diximus, Imperatrix accerſiverat, fugam ipſe capeſſens, a milite quodam Urſo nomine eſt interfectus; ſive juxta alios a Populo lapidibus obrutus, inde membratim dilaniatus, & in Tyberim projectus, imp. menſe circiter 3. *Paul. Diac. lib. 5. Caſſiod. Jornand. de reb. Get. Cedren. Pomp. Læt. in Valent.* Quidam in Tyrannorum numero ipſum reponunt.

FLAVIUS MÆCILIUS AVITUS, Arvernus patria, Senator tamen Romanus, a Senatu & Populo Imperator electus eſt, dum legatum ageret apud Theodericum Regem Gothorum, A. 455. A Ricimero Barbarorum ductore, quem Romanis legionibus Valentinianus III præfecerat, prope Placentiam captus eſt, coactuſque privatam deinceps vitam agere, A. imp. 1, ſive juxta alios 2 nondum expleto. Tradunt quidam, eundem Placentiæ creatum Epiſcopum, paulo poſt mœrore animi obiiſſe. *Paul. Diac. lib. 6. Caſſiod. Pomp. Læt. in Marc.*

Ecdicius, perperam a quibuſdam Decius vocatus, Aviti filius. Papianilla ejuſdem Aviti filia, Sidonii Apollinaris uxor, ex *Baron. Annal. Tom. 6.*

LVII.

L V I I.















LEO, vir Græcanici ſanguinis, Aſparis factione ad Imperium evectus eſt A. 457. Princeps clementia, liberalitate, ac pietate clarus, devotione præſertim erga Deiparam. Per Marcellinum & Heraclium duces ſuos Genſericum non ſemel fudit, Barbaroſque Sardinia expulit. Contra eoſdem rurſum A. 469 Baſiliſcum miſit cognatum ſuum, qui turpiſſimè navali prælio victus eſt, totamque ferè claſſem amiſit; ſed anno proximè ſequenti, ut tantum dedecus dilueret, conflixit iterum, Barbaroſque gloriosè vicit. Obiit ex profluxio ventris, A. imp. 17. *Paul. Diac. lib. 6. Zonar. Pomp. Læt. in Leone.*

Ælia

Ælia Berina, seu Verina, Basilisci Patritii Constantinopolitani soror, Leonis uxor. Ex hac natæ Ariadna, & Leontia. *Zon. ibid. Jornand. de regn. ac temp. success.*

Ardaburius, Asparis Patritii filius, a patre nova moliente contra Leonem Cæsar Constantinopoli dictus est. Utrumque Leo, unà cum Patriciolo ipsius Ardaburii fratre, in Palatio trucidavit. *Jornand. loc. cit. Paul. Diac. libr. 16.*

LEO Junior, Zenonis, de quo infra, filius, ab Avo suo Leone Cæsar factus est, A. 473, cum esset admodum juvenis. Anno sequenti, Leone seniore mortuo, Augustus est dictus; sed paulo post obiit annorum circiter 17, Imperiumque patri reliquit. *Pomp. Læt. Zonar. in Leo. Cassiod.* At *Paul. Diac. lib.* 6. rem diversè narrat, hancque Leonem senioris filium appellat, & præ timore Zenonis a matre sua clericum factum tradit.

FLAVIUS JULIUS MAJORIANUS, a Leone Orientis Imperatore magister militum creatus, adque Occidentis Imperium occupandum missus, prope Ravennam Imperator dictus est, A. 457. Princeps bellicosus, qui Barbaris, tum in Italia, tum in Gallia plura intulit damna. Dum rursum moves contra Alanos Italiæ imminentes, a Ricimero, quem sibi Barbari conciliaverant, captus est, & occisus prope Dertonam, quæ nunc Tortona, in Liguria, A. imper. 4. cum dimidio. *Paul. Diac. lib. 6. Jornand. de reb. Get. §. 75. Cassiod.*

LIBIUS SEVERUS, seu Severianus, e Lucania, occiso Majoriano, invasit Imperium, A. 461. Alanos compescuit, ipsorumque Regem Biorgum, seu Biorgorem occidit. Sublatus Romæ est per venenum a Ricimero, sive juxta alios naturali fato obiit; A. imper. 4. *Auctores cit.*

ANTHE-

ANTHEMIUS, Patre Procopio Constantinopolitano genitus, a Leone Imp. Romam missus, factus est Imperator consentiente Ricimero A. 467, post interregnum annorum ferme duorum, per quod tempus Ricimerus militiæ dux universa ex placito administrabat. Eidem Ricimero filiam suam sponsam dedit; sed non multo post Barbarus socero insidias struxit, eundemque obsessum Romæ cepit, & occidit, A. imp. 6 inchoato. *Paul. Diac. lib.6. Cassiod. Jornand. de reb. Get. & de regn. ac temp. success. Cedren.*

Flavia, Marcia seu Marciana, & Marciana Euphemia, Anthemii uxor a quibusdam dicitur.

FLAVIUS ANICIUS Olybrius, sive Olyberius, Anthemio successit, suffragante Leone, atque approbante Ricimero, A. 472. Obiit Romæ, dubium proprione fato, an violento, imper. mense 7, aut 8 secundùm alios. *Auctores cit.*

Placidia Valentiniani III filia, Olybrii uxor, cujus filia recensetur Juliana Anicia. *Cedren.*

GLYCERIUS senator Romanus, post Olybrium Imperator factus est prope Ravennam, A. 473, cum post eundem Olybrium interregnum Mensium 4 fuisset. A Julio Nepote, quem Leo imperio Occidentis destinaverat, data ipsi in uxorem nepte sua, solio dejectus est, & Salonas pulsus, A. imp. 2; ibidemque dicitur fuisse consecratus Episcopus. *Auctores supra cit. Pomp. Læt. in Leon.*

JULIUS NEPOS, Nepotiani filius, pulso Glycerio, Imperium sumpsit, A. 474. Ab Oreste Gotho, cui præfecturam exercitus ipse demandaverat, exauctoratus est, A. imp. 3 inchoato. Abiit inde in Dalmatiam, ibique occisus est a comitibus suis A. 480. *Auct. cit.*

LVIII.

LVIII.





ZENO, *Isauricus* cognomento quòd ex Isauris Ciliciæ genere ignobili natus esset, *Tarasicodisas* ante imperium nomine, a filio suo Leone Juniore Imperator renunciatus, regnare cœpit in Oriente, A. 474. Homo turpis facie, sed moribus turpior, tyrannum potius egit, quàm Principem. A Basilisco pulsus ad Isauros suos se recepit; sed post viginti mensium exilium tyrannum dejecit, seque imperio restituit. Obiit Byzantii ex fraude uxoris: Cum enim ex immodica crapula prolapsus mortuus crederetur, ejusdem jussu deportatus est in sepulchrum, ubi excitatus quidem est, & clamores edidit, sed ipsa sepulchrum vetante referari, ibidem obiit devoratis sibi lacertis, & caligis, A. æt. 65, post imper. 17. *Zonar. in Zen. Evagr. lib. 3, cap. 1, & 8.*

Ariadna, Leonis Senioris filia, Zenonis uxor. Ex hac natus Leo Junior, de quo jam supra. Nupsit ipsa postea Anastasio Imperatori. *Jornand. de regn. ac temp. success. Evagr. lib. 2, cap. 15, Cedren. in Zen.*

Basiliscus, Patritius Constantinopolitanus, dum Zeno Imperator Chalcedone plerunque moraretur, a Berina sorore sua Leonis vidua instigatus, pulso Zenone Imperium sibi usurpavit. A. 476. Cum verò nihilo meliorem Zenone se gereret, ab iisdem, a quibus acclamatus fuerat, ipse Zeno revocatus est. Ingresso urbem Imperatore, se recepit tyrannus ad templum; sed illinc extractus ab Acacio Præsule, missus est ad quoddam Cappadociæ castellum, ubi frigore fameque periit jussu Zenonis. *Evagr. lib. 3. cap. 3. &c. Zonar. in Basil.*

Zeno-

Zenonis, Basilisci uxor, ab eodem Augusta dicta. Genuit Marcum a patre Cæsarem nuncupatum. Ipsa pariter cum marito & filio periit. *Theod. Lect. lib.* 1.

Marcianus, Zenonis Imper. congener, adversus eum Imperium invasit, tanquam sibi debitum uxoris nomine, quæ erat Leontia Leonis Imp. filia; Ariadnę Zenonis soror. Et prælio quidem commisso Marcianus victoriam retulit; a fratribus suis Romulo & Procopio adjutus; ac paulo post dolo captus a Zenone, presbyter ejus jussu ordinatus, in Papirium Isauriæ castellum adductus est. *Ibidem.*

Leontius, in Oriente pariter contra Zenonem tyrannidem arripuit, unaque cum tyranno illo in Syriæ Isauriæque partibus debacchabatur. Non multo autem post ab exercitu Zenonis in Papirio castello capti ambo sunt, & decollati. *Jornand. de reg. ac temp. suc. lib.* 1.

FLAVIUS ROMULUS AUGUSTUS, aliis Momulus, & Momyllus Augustulus dictus, sed forsitan minus recte, Orestis filius, ex patris auctoritate suffragiis militaribus Ravennæ Imperator Occidentis creatus est, A. 475. A Nepotis factione vocatus in Italiam Odoacer Rex Herulorum ingentibus Barbarorum copiis Orestem Ticini obsedit, inde & cepit, coramque exercitu interfecit. Augustulum autem Imperio cedere coactum in Lucullanum Campaniæ relegavit, anno imp. 1 nondum expleto. *Jornand. Ibid.*

In Augusto hoc Imperii quoque nomen in Occidente extinctum est; Odoacer enim Roma potitus Gothorum Regnum in Italia instituit, quod duravit A. 77, ab A. 476 ad 553. Regum series hæc est.

Odoacer.	Ildibaldus.
Theodoricus.	Araricus.
Athalaricus.	Totilas.
Theodahatus.	Tejas.
Witiges.	

Horum

Horum Historiam plures ex Antiquis attingunt; sed videre præstat *Sigonium, de Occidentis Imperio, a lib.* 15. *ad* 20, qui eandem ex ipsis expressit, & collegit. Gothorum Regnum inde in Italia Longobardicum excepit, ut infra in Justino Juniore dicetur, ab A. 571 ad 774 protensum, per annos nempe 203. Reges fuere.

Alboinus.	Bertharitus iterum.
Clepho.	Cunipertus.
Flavius Antarius.	Livipertus.
Agilulphus Paulus.	Ragumbertus.
Adaloaldus & Theodelinda.	Aripertus II.
Arioaldus.	Ansprandus.
Rotarius.	Luitprandus.
Rodoaldus.	Hildebrandus.
Aripertus.	Rachisius.
Bertharitus & Gundebertus.	Aistulphus.
Grimoaldus.	Desiderius.
	Adalgisus Theodorus.

Horum quoque Historiam fusè ac disertè prosequitur idem *Sigonius, de Regno Italiæ, a l.* 1 *ad* 4. Interea verò Imperii nomen in Oriente tantùm permansit, per Imperatores qui subsequuntur derivatum.

LIX.

L I X.



FLAVIUS VALERIUS ANASTASIUS, *Dicorus* cognomento a diversitate coloris in pupillis, e Macedoniæ urbe Dyrrhachio ortus, ope Ariadnæ viduæ Zenonis Imperatoris, e silentiario seu scriba factus est Imperator, A. 491, ipsamque sibi junxit in uxorem. Initio bonus Princeps, mox in malum conversus est, impius præsertim factus in Catholicos, cum Eutichiana hæresi esset infectus. Longinum Zenonis Imperatoris fratrem tumultuantem vicit, & occidit. Vitalianum quoque Præfectum Provinciarum Septentrionalium nova excitantem repressit. A Bulgaris autem in Thracia, & Getis in Macedonia damnis affectus, ipsos, cùm ferro nequiret, donis auroque repulit. Inventus est mortuus in cænaculo, crediturque ictu fulminis interemptus, A. æt. 88, imp. 24; aut juxta quosdam 27. *Jornand. de regn. ac temp. suc. Paul. Diac. lib. 7. Cassiod. Evagr. lib. 3. cap. 50. Zonar. Pomp. Læt. in Anast.*

Ariadna, Leonis Senioris filia, Zenonis Imp. vidua, Anastasii uxor, ut supra dictum.

Longinus, Zenonis Imper. consanguineus, nova in Isauria contra Anastasium molitus est, unà cum Theodoro, sive Athenodoro. A Joanne autem Scytha prælio ambo victi sunt, & obtruncati. *Evagr. lib. 3. cap. 35.*

Longinus alter, Selinutius cognomento, simul cum Inde seu Indo quodam & Isauria adversus Anastasium tyrannidem affectavit. Sed hi quoque a Joanne cognomine Gibbo victi & capti, ab Imperatore in triumphum missi sunt. *Ibidem.*

Vita-

Vitalianus, in Thracia ortus, tyrannidem arripuit, magnisque Hunicarum gentium copiis Thraciam, Mæsiam, aliasque finitimas regiones cepit, victisque Hypatio primùm, deinde Cyrillo Anastasii Ducibus, Constantinopoli jam imminebat: Ast a Marino Syro altero Imperatoris Duce navali pugna victus parumper quievit. Mox Justino Imp. suspectus, ab eodem amicitiæ specie in Urbem vocatus, & Magister militum Consulque creatus, per dolum inde in interiorem Palatii partem attractus, ibidem sexdecim vulneribus confossus est. *Evagr. lib. 3, c. 43, & lib. 4 cap. 3, Jornand. de regn. ac temp. succ. lib. 1.*

L X.



FLAVIUS ANICIUS JUSTINUS, e Thracia, Suum & Bovum custos olim, accepta magna vi pecuniæ a Spadone quodam Amantio Palatii præposito, qui ipsam erogabat, ut conciliato per ipsam exercitu Theocritianus acclamaretur, eadem pro se usus, Imperium obtinuit cum esset excubitorum comes, A. 518. Imperium bene administravit, resque juvit Catholicorum; diciturque primus hic inter Imperatores a Romano Pontifice, qui tunc fortè Constantinopoli aderat, coronatus fuisse. Obiit A. ætat. 77, imper. 9. *Paul. Diac. lib. 7. Jornand. loc. cit. Pomp. Læt. Zonar. in Justin.*

Lupicia, seu Lupicina, Justini prima uxor. Hanc Imperator factus Augustam dixit, & Euphemiam nominavit. *Zonar. ibidem.*

Theodora, secunda uxor juxta *Cedren. in Just.* quem secuti sunt nonnulli ex recentioribus. Sed quæ de Theodora ut secunda Justini uxore ipsis scribuntur, ad Theodoram Justiniani ex Procopii Arcana Historia referenda esse videntur; super quibus consule Eruditissimi Nicolai Alemanni in ipsum Procopium Annotationes.

Theocritianus, seu Theocritus, Amantii Satelles, ab eodem ad imperium capessendum contra Justinum excitus est: Sed Imperator ipsum comprehensum saxis contisque ingentibus oppressum, salsum in gurgitem jecit. *Jornand. lib.* I.

L X I.



FLAVIUS JUSTINIANUS, ex Illyrici oppido Bedirina, Justini ex sorore nepos, Imperium per adoptionem acquisivit, A. 527. Princeps domi forisque clarus; nam leges omnes in unum corpus colligi jussit, unde effluxere celebrata illa volumina, Codex scilicet, Pandectæ, Institutiones, &c. Salutis quoque publicæ studiosissimus fuit, & honestatis custos severissimus. Bellum civile, quo ad Imperium tendebant Anastasii nepotes Hypatius, Pompejus, & Probus, sive juxta alios Hypatius & Pompejus tantùm, iisdem occisis, sustulit. Cum Gothis sæpissimè pugnavit, & plerunque ferè feliciter per duces suos, Belisarium, Alexandrum, & Narsetem, qui post varios eventus sublato tandem Gothorum Rege Teja, Italiam a Barbaris penitus vindicavit. Per

eun-

eundem Belisarium Persas quoque vicit, & Vandalos, & Africam Romano Imperio restituit. Vitiis tamen non caruit, nam & ad avaritiam pronior fuisse fertur, & a Catholica religione ad Eutychianam Hæresim, instigante conjuge, deflexisse. Obiit parum sanus mente, A. ætat. 83, imp. circiter 39. *Paul. Diac. lib. 7, & 8. & de gest. Long. libr. 1, cap. 17. Agath. libr. 1, & 2. Jornand. de regn. ac temp. succes. Zonar. Pomp. Læt. in Just.*

Theodora, Justiniani uxor; fœmina Eutychiana, quæ maritum ad Apostasiam pellexit, & fortasse ad avaritiam incitavit. *Paul. Diac. lib. 7. Zonar. loc. cit.*

Hypatius, Pompejus, & Probus Anastasii nepotes, ut dictum, contra Justinianum tyrannidem Constantinopoli invaserunt. Imperator autem singulos comprehensos, amputatis ante Palatii fores capitibus, imperio vitaque privavit. *Jornand. de reg. ac temp. succes. lib. 1.*

Stozas, vilis in Africa miles, imperium ibi sibi rapuit, totamque provinciam devastabat. A Belisario victus est, & oppressus, ipsaque provincia liberata. *Ibidem.*

Stozas Junior, seu Jo: Stozas, unà cum Gunthario magistro militum tyrannidem in Africa pariter usurpavit, uterque tamen brevi sublatus est. *Ibid.*

LXII.



JUSTINUS JUNIOR, qui & *Curopalates* dicitur quòd esset Prætorii Præfectus; Justiniani sive ex sorore, sive ex filia nepos, successit eidem, a quo fuerat adoptatus, A. 565. Princeps justitiæ studiosus, mansuetus, publicæ tranquillitatis amator. Hoc Imperatore Longobardorum in Italia Regnum initia habuit, Rege Albuino, qui a Narsete vocatus, 200000 militibus Provinciam ingressus Romam cepit, ex eaque Imperatoris copias, & præsidia expulit. In illam autem Italiæ partem, quam Barbari nondum occupaverant, misit Imperator Longinum, qui eandem pro Imperio Exarchi titulo retineret. Cæpit tunc igitur & Græcorum Exarchatus in Italia, sede Ravenna, duravitque ad usque Constantini V tempora, ut suo clariùs loco significabimus. Bellum gessit per quadriennium Justinus cum Persis eventu vario: Et pax quidem inde sancita; sed propter mala, quæ in eo bello perpessus fuerat, fractus animo in phrenesim incidit, ex qua parumper convalescens, Tiberium sibi successorem designavit. Mox obiit ex dolore pedum, Pelagiana Hæresi infectus, A. imp. quasi 13. *Paul. Diac. l.* 8. *Pomp. Læt. Zonar. in Just. Evagr. lib.* 1, *cap.* 5. *&c.*

Sophia, Justini uxor; mulier truculenta, & imperiosa. Hæc Narseti Italiam regenti pro Imperatore objecit per probrum, ut relicta provincia ad tractanda cum puellis pensa properaret. Quibus percitus Narses rescripsit eidem, talem se orditurum telam, qualem nec ipsa, nec maritus fuissent unquam soluturi; quare Longobardos, ut diximus,

mus, vocavit. Ipsa post mariti fata sub Tiberio nova molita est; sed jussu ejusdem est comprehensa. *Paul. Diac. lib.* 8. *Cedren Zonar. in Just.*

LXIII.



TIBERIUS CONSTANTINUS, e Thracia, a Justino adoptatus, favente Sophia Augusta, quæ ejusdem nuptias sperabat, successit, A. 578. Princeps strenuus, sapiens, & liberalis. Persas bis superavit, primò per Justinianum, inde per Mauritium duces suos. Obiit placidè Constantinopoli, A. imper. circiter 5; juxta quosdam 7, aut 8. *Paul. Diacon. lib.* 8. *Pomp. Læt. Cedren. Zonar. in Tib. Evagr. lib.* 5. *cap.* 13, *&c.*

Anastasia, Tiberii uxor. Genuit Charitiam, seu Charitonem, & Augustam, quæ postea dicta est Constantina. Videtur filium etiam habuisse. *Cedren. Zonar. ibidem.*

L X I V.



MAURITIUS, *Tiberius*, ut in Nummis legitur, e Cappadocia ortum ducens, a Tiberio socero suo adoptatus, eundem excepit. A. 583. Imperator strenuus quidem, & tum belli, tum pacis artibus satis idoneus, avarus tamen, & iracundus. Persas vicit per duces suos Philippicum, & Germanum. Cum Chagano Avarium Rege, qui Thraciam, Mæsiam, aliasque Orientalis Imperii regiones devastabat, sæpius variisque eventibus pugnavit. Tumultuantibus militibus quod stipendia non acciperent, Phoca principe, Imperator cum tota familia trucidatus est Chalcedone, A. æt. 63, imp. 20. *Paul. Diac. lib. 8. Zonar. Pomp. Læt. in Maurit.*

Constantia, seu Constantina, quæ primum Augusta vocabatur, Tiberii & Anastasiæ filia, Mauritii uxor. Genuit Theodosium, & saltem quinque alios masculos, nimirum Tiberium, Petrum, Paulum, Justinum, & Justinianum, qui in conspectu patris occisi sunt; item tres filias, Anastasiam, Theoctistam, & Cleopatram, in Monasterium primo detrusas, mox Phocæ jussu unà cum matre interfectas. *Cedren. in Maurit. Evagr. lib. 5, cap. 22.*

Theodosius, Mauritii & Constantinæ filius. A patre consors Imperii factus est. De ipsius exitu varia dicuntur. *Cedr. Zonar. in Maurit.*

LXV.

L X V.



PHOCAS, in Thracia ortus obscuro genere, vir corpore animoque turpissimus, ab exercitu, qui conspiraverat in Mauritium, appellatus est Augustus, A. 602. Crudelem, & libidinosum se gessit, prætereaque ignavum & timidum, licèt esset terribilis aspectu. A Cosroe Persarum Rege Mauritii necem iniquè ferente lacessitus bello est, & victus. Alii quoque Reges, tum in Europa, tum in Asia, tum in Ægypto contra eundem irruerunt, summo cum Imperii damno, atque ignominia. Unum præstitit laude dignum, quòd Romanam Ecclesiam Ecclesiarum omnium caput esse decrevit. Facta in ipsum omnium conspiratione, acclamatus est Heraclius, qui Phocam prælio vicit, & a Photino quodam captum ignominioso mortis genere confecit, A. imper. 8. *Paul. Diac. lib.* 8. *Cedren. Zonar. Pomp. Læt. in Phoca.*

Leonto, seu Leontia, Phocæ uxor. Genuit Domantiam, sive Domnentiam, quam in uxorem duxit Priscus Patritius Constantinopolitanus. *Cedren. Zonar. ibid.*

L X V I.



HERACLIUS, Heracleonæ seu Heracliani Africæ Præfecti filius, sublato Phoca, a militibus & senatu Imperator pronunciatus est A. 610. Princeps inter bonos numerandus si Monothelitarum Hæresi non favisset, neque in senectute sua auspiciis, & incantationibus studuisset. Persas vicit ingenti prælio, pretiosumque Dominicæ Crucis lignum ex eorum manibus recuperavit. Obiit ex hydrope A. imper. 31. *Pomp. Læt. Cedren. Zonar. in Herac.*

Fabia, Heraclii prima uxor. Qua die coronata est Augusta, Eudociæ nomen sibi adjunxit. Genuit Constantinum Novum, & Epiphaniam. *Auct. cit.*

Martina, secunda uxor, neptisque ex fratre, sive secundùm alios, ex sorore Maria. Ex hac nati liberi numero decem, inter quos Heracleonas, & Davides. *Auct. citat.*

LXVII.

LXVII.



CONSTANTINUS III, qui & Novus dicitur, & Constantinus Heraclii, ante coronationem Heraclius appellatus, & ideo quibusdam Heraclius II dictus, patri successit, A. 641. A Noverca Martina, instigante Pyrrho Constantinopolitano Patriarcha hæretico, veneno sublatus est optimus Princeps, æt. anno circiter 29, imper. mense 4. *Pomp. Læt. in prog. Herac. Cedren. Zonar. in Const.*

Gregoria, quæ & Anastasia dicta est, Nicetæ Patricii filia, Constantini uxor. Genuit Constantem, & Theodosium, qui ab eodem Constante interfectus est. *Auctores citati.*

LXVIII.



HERACLEONAS, Heraclii ex Martina filius, matris artibus evectus est ad Imperium sublato Constantino, A. 641. Cum malè Rempublicam administraret, ex jussu Senatus unà cum matre captus est, ipsique nasus, huic autem lingua est amputata. Ambo

inde

inde in Cappadociam relegati, imp. mense 6. *Pomp. Laet. loc. cit. Cedren. Zonar. in Heracl.*

LXIX.



CONSTANS II, qui & Heraclius Constans dicitur, & Constans Junior, Constantini III & Gregoriæ filius, a Senatu Imperator factus est, A. 641. Patri dissimilis, per omnem crudelitatem, libidinem, avaritiamque se se exercuit. Cum Saracenis in Oriente, & Longobardorum Rege Grimoaldo in Italia apud Beneventum parum prosperè pugnavit. Quocirca versus in rabiem desæviit in suos; progressusque in Siciliam, dum ibidem se lavat in balneo, cui nomen Daphne, situla ipsius capiti graviter impacta, opera cujusdam Andreæ, auctore autem Mizizio, occisus est, A. imper. 26. *Paul. Diac. lib. 8. Theoph. Cedren. Zonar. in Const.*

Uxoris ipsius ignoratur nomen; suscepit autem filios Constantinum, Tiberium, & Heraclium. *Zonar. loc. citat.*

LXX.

LXX.



CONSTANTINUS IV, iis autem qui Heraclium II nominant, ut supra diximus, III tantùm appellatus, *Pogonatus* dictus, seu *Barbatus* Constantis II filius patri successit, A. 668, cum nonnullis jam annis antea, absente patre, imperium administrare Constantinopoli cæpisset, Mizizium tyrannum sustulit. A Saracenis validissima classe instructis per septennium ferè Constantinopoli obsessus est; eos verò tandem egregiè repulit, & quidquid hostium superfuerat repente oborta tempestas penè delevit. A Bulgaris de Sarmatiæ finibus egressis magna clade disjectus, pace inita, cum ipsos repellere non posset, Mysiam iisdem incolendam concessit, quam a suo nomine Bulgariam appellavere. Obiit Princeps bonus & laudabilis naturali fato, A. imp. 17. *Theoph. Cedren. Zonar. in Const. Pog.*

Anastasia, Constantini uxor. Genuit Justinianum Juniorem, & Heraclium. *Cedren. in Just. II.*

Mizizius, seu Mezentius, Armenus homo, Constantio Imperatore in Sicilia occiso, de imperio sibi usurpando cogitavit. A Constantino petitus statim est classe, & victus; ipsiusque caput Constantinopolim deportatum. *Auct. supra cit.*

LXXI.

LXXI.



JUSTINIANUS II, qui & Junior, & Justinus III appellatur, Constantini & Anastasiæ filius, Patri suffectus est, A. 685. Crudeliter Imperio præfuit, nam præsertim, cum a Saracenis ingenti clade fusus fuisset, Constantinopolim reversus urbis Præfecto mandaverat, ut cives omnes per milites obtruncaret. Qua re detecta, Leontius facta conspiratione imperio eundem dejecit, A. 694, & Chersonam relegavit, truncato naso; quare & Rhinotmetus dictus est. Nono autem post exilium anno Imperator Trebellii Bulgarorum Ducis armis adjutus Constantinopolim obsedit, noctuque per aquæductus occupavit. Se se itaque imperio restituit, & Absimarum, qui tunc eodem potiebatur e fuga attractum interfecit, unàque Leontium; indeque quotiescunque truncas sibi nares emungeret, unum ex iis qui Leontio faverant trucidari jubebat. Fœdus post hæc cum Bulgaris initum fregit, eosque bello petiit, sed parum felici exitu. Exosior in dies ex sævitia factus, quam in Chersonenses præcipuè, apud quos exulaverat, exercuit, a Philippico obtruncatus est æt. anno 42; cum ante relegationem A. 9, post eandem 8 imperasset. *Paul. Diac. lib. 8. Cedren. Zonar. in Just.*

Theodora, Cazarorum Reguli soror, aut filia, Justiniani uxor. Genuit Tiberium, qui Augustus est dictus, & cum patre sublatus est. *Ibidem*.

Leontius Isaurus, Patritius Byzantinus, ob suspicionem virtutis a Justiniano in carcerem detrusus, inde ab eodem libertati restitutus, & Græciæ præpositus, deturbato,

bato, ut diximus, Imperatore potitus est Imperio, A. 694. Classem misit in Saracenos Africam devastantes, quæ, re parum feliciter gesta, cum sibi ab ipso timeret, Imperatorem salutavit Absimarum, a quo captus Leontius relegatus est in Dalmatiam, truncato naso, A. imp. 3. Restituto Justiniano, post varia ludibria, & tormenta unà cum eodem Absimaro cæsus est. *Ibid. Theoph.*

Tiberius Absimarus, a classiariis, ut diximus, Imperator renunciatus in Africa, duce eorundem Joanne, Anno 696, Constantinopoli, imperioque potitus est, relegato Leontio. Cum Justinianus, urbe occupata, contra ipsum tenderet, fugę se dedit; sed in fuga captus, ad victorem perductus est, cujus jussu periit, cum imperium per annos 7 tenuisset. *Ibidem.*

LXXII.



PHILIPPICUS, seu Phileppicus, Bardanis Armeni filius, Patritius Constantinopolitanus, ab Absimaro Chersonam olim relegatus, ab iisdem Chersonensibus Imperator acclamatus est contra Justinianum, & ab ejusdem Imperatoris classe confirmatus, Imperium obtinuit, A. 711. Princeps prudens quidem, nec ingenio pravus, sed in rebus gerendis infelix, a Bulgaris, & Saracenis pluribus damnis est affectus. Sunt tamen qui ipsum flagitiosum, pravumque Tyrannum magis quam Principem dicant. A Patritiorum factione excæcatus est e convivio raptus, & in carcerem detrusus, A. imp. 2, aut 3 secundùm alios. *Paul. Diac. lib. 8. Cedren. Zonar. in Philip.*

LXXIII.



ARTHEMIUS, qui & Anastasius II appellatus, Philippici a secretis, a populo simul & Senatu Constantinopolitano Imperator dictus est, A. 713. Vir omni doctrinæ genere eruditus, & agendo versutissimus. Classem misit in Saracenos; sed milites, infecta re, ne ad Imperatorem iratum reverterentur, Theodosium Imperatorem pronuntiarunt, qui Constantinopoli potitus Arthemium cepit, & in ordinem redegit. Alii dicunt, Arthemium a Theodosio Nicææ victum, & captum. Leone autem III imperante, pristinæ dignitati se se restituere molitus est Arthemius, Bulgarorum auxiliis instructus; sed ab his ipsis a Leone pecunia corruptis Imperatori traditus est, & nonnullos post annos occisus. Imperavit A. 2 cum dimidio circiter. *Paul. Diac. lib. 8. Theoph. Cedren. Zonar. in Arth.*

LXXIV.



THEODOSIUS III, *Adramythenus* appellatus, quòd Adramytti (urbs est in Troade) ab Arthemii Classe Imperator factus fuerit, Imperium invitus, ut fertur, est consecutus, A. 715. Vir genere obscurus, sed moribus optimus, & Orthodoxis addictissimus. Cum audiisset Leonem appellatum Augustum, sponte cessit Imperio, & monasticam subiit vitam unà cum filio; ferturque a nonnullis sanctè occubuisse Ephesi, & miraculis claruisse. Imperavit A. 1, & aliquot menses. *Theoph. Cedren. Zonar.*

LXXV.



LEO III, *Conon* dictus, ignobili familia ex Isauria, Imperator acclamatus est prope Nicomediam a militibus, A. 717. Princeps impiissimus, sacrarum imaginum eversor efferatus, quibus etiam penitus e medio tollendis Synodum Constantinopoli coegit. Ex hoc *Iconomachus*, & *Theomachus* appellatus est. Obiit ex dysenteria sive ex Aquaintercute Anno imp. 25. *Paul. Diac. lib.* 8. *Cedren. Zonar.*

Maria,

Maria, sive Marina, Leonis uxor, ex qua Constantinus Copronymus, & Anna. *Cedren.*

LXXVI.



CONSTANTINUS V, *Copronymus* dictus quòd aquam Baptismalem corporis solutione fædaverit; & *Caballinus* quòd caballini stercoris odore mirè delectaretur, Leonis & Mariæ filius, Patri successit A. 741. Tyrannicè res administravit; & præstigiis ac fascinationibus supra modum addictus, leges omnes, tam politicas quam divinas violavit, atheismum potius, quam religionem ullam professus. Artavastum tyrannum oppressit, Arabasque vicit. Cum Bulgaris primùm infeliciter pugnavit, inde ipsos ingenti prælio fudit. Exarchatum amisit in Italia; Aistulphus enim Longobardorum Rex, expugnata Ravenna, totam sibi quoque Provinciam victor subjecit A. 752. Illam inde A. 754, aut 756 juxta alios, Aistulpho arripuit armorum jure Pipinus Brevis Franciæ Rex, eandemque Romano Pontifici Stephano donavit grati animi ergo, quòd ex Zacchariæ Pontificis voluntate regnum accepisset, excluso Chilperico Merovingorum postremo. Obiit Constantinus non longè ab Arcadiopoli, vel ex elephantiasi, vel ex dolore carbunculi in pedibus, A. æt. 57, imper. 35 inchoato. *Theoph. Cedren. Zonar. in Const. Anon. Ann. Reg. Franc.* sub A. 756.

Irene, Cazarorum Principis filia, Constantini prima uxor. Genuit Leonem. *Cedren. Zonar. loc. cit.*

Maria, quam aliis Mariam Armenam vocari observamus, secunda uxor. Sine prole obiisse traditur.

Eudo-

Eudocia, tertia uxor. Ex hac nati Christophorus, Nicephorus, Niceta, & Eudoxus, sive Eudocimus. *Theoph. Cedren.loc. cit.*

Artavastus, sive Artabasdus, Constantini V gener, eodem in Asia contra Saracenos occupato, Imperium invasit Constantinopoli A. 742 circiter. Reversus Constantinus, ejusdem filium sibi occurrentem vicit, inde & ipsum pariter tyrannum. Urbe demum potitus, fugientem cepit, & oculis privavit cum ejusdem duobus filiis; ipsiusque sectatores occidit. *Cedren. Zonar. loc. cit.*

Anna, Leonis tertii filia, Artavasti uxor. Genuit Nicephorum, a patre Imperatorem dictum, & Nicetam.

Hoc Imperatore, ut diximus, Orientalium Imperatorum Exarchatus in Italia desiit, qui imperante Justino A. 568 inceptus, per annos 184 duraverat, ad annum usque nimirum 752, quo extinctus est. Placuit Exarcharum seriem, ac nomina subtexere.

Longinus.
Smaragdus.
Romanus.
Callinicus.
Jo. Lemigius.
Eleutherius.
Isaacius Patritius.
Theodorus Calliopa.
Olympius.
Theodorus Calliopa iterum.
Theodorus.
Joannes Platon.
Theophylactus.
Joannes Tizocop.
Scholasticus.
Paulus Patritius.
Eutychius Patritius.

LXXVII.



LEO IV, Copronymi filius ex prima uxore, Patrem excepit A. 776. Heres paternæ impietatis Imagines everti jussit, & contra easdem ipse quoque synodum convocavit. Validissimo exercitu in Syriam misso innumeram Saracenorum vim cecidit. Coronam auro gemmisque insignem, quam sive Mauritius, sive Heraclius ad Dei honorem in templo deposuerat, suo ipse capiti imposuit; quare oborto repente carbunculo, obiit ex ejusdem cruciatibus, A. ætat. 30, imp. circiter 5. *Cedren. Zonar. in Leo.*

Irena, mulier Attica, forma corporis insignis, Leonis uxor. Genuit Constantinum, cum quo post mariti obitum Imperium per annos decem administravit, usque nempe ad A. 790. Tunc ab eodem in ordinem redacta est; sed anno post iterum ad Imperii consortium assumpta. Tanta inde regnandi libidine exarsit, ut consortis impatiens filium jusserit excæcari, quo e vivis ablato imperavit sola per annos circiter 5, donec A. 802 a Nicephoro est deposita, & in Lesbum insulam relegata. *Auctores citat. Theoph.*

LXXVIII.



CONSTANTINUS VI, Leonis filius & Irenæ, sub tutela matris Imperium sumpsit, A. 780. Decennio post matrem expulit, & rebus solus potitus, crudelissimè Rempublicam administravit. Quare omnibus exosus, matri quoque jam restitutæ, ejusdem jussu excæcatus est: Tanta verò crudelitate ipsi oculi sunt effossi, ut non multo post præ dolore e vivis migraverit, A. æt. 26, sive juxta alios 34, imp. 17. *Theoph. Cedren. Zonar. in Const.*

Marina, seu Maria ex Armenia, Constantini uxor. Hanc ipse sumpsit invitus jubente matre; quare postea repudiavit, & monialem fieri compulit ex ejusdem matris jussu. *Auct. cit.* Genuit Euphrosinem, Michaelis Balbi, de quo infra, conjugem.

Theodotes cubicularia, altera Constantini uxor. Genuit Leonem, qui obiit infantulus. *Auct. cit.*

Stauratius, A. tertio post Constantini depositionem, imperante Irena, tyrannidem arripere molitus est. Hoc cum Imperatrix rescivisset, omnibus ejus consuetudine interdixit; quocirca mærore oppressus obiit. *Theoph. Cedr.*

Hactenus in Oriente tantùm Imperii dignitas viguit; ab hinc & in Occidente post 324 annorum interstitium sub Carolo Francorum Rege meliore Christiani orbis fato reflorebit. Occidentalium igitur Imperatorum seriem resumemus, unàque & Orientalium ordinem prosequemur ad captam usque Constantinopolim: Neque enim adeo levis momenti, aut ab Occidentis rebus dissita eorundem

H 2 Histo-

Historia est, ut sine studiosorum antiquitatis damno possit prætermitti.

LXXIX.



CAROLUS, Pipini Brevis Galliæ Regis & Berthæ, seu Bertradæ filius, *Magnus* a gestarum rerum magnitudine nominatus, cum jam Galliæ, Germaniæque regnis potiretur, ab Hadriano Pontifice, contra Desiderium Italiæ Regem vocatus in Italiam, egregia pro Ecclesia navata opera, & hoste Papiæ capto, ac Leodium relegato, a Leone III Pontifice Imperator Occidentis est renunciatus, aureoque diademate coronatus die Natalis Dominici An. 800. Princeps domi forisque optimus; ingenii morumque virtutibus clarus, bellicaque virtute nulli secundus; fœminarum quidem aliquantum appetentior, qua sola videtur labe culpandus. Cum Saxonibus ab A. 772 ad 785 bellum pertinax gessit, quod feliciter tandem confecit, hostibus unà cum Withekindo ipsorum Duce ad Baptismum suscipiendum adactis. Frisios, Hungaros, Saracenos in Hispania, Avares, Bohemos, Danos vicit, & compescuit. Accademias Parisiis, Osnaburgi, Papiæ, Bononiæque fundavit; & pluribus in civitatibus scholas publicas ad juvenum educationem instituit. Ducatus Spoletanum, Beneventanum, & Tuscum, Corsicam, ac Sardiniam Pontifici dono dedit. Obiit Aquisgrani, quam urbem in sedem regiam elegerat, ex pleuritide, A. ætat. 71, imper. 14. *Eginart. Anon. an. Reg. Franc. Regi. lib. 2. Sigeb. An. Fuld. Contin. Aim. lib. 4, cap. 65, &c. Avent. lib. 4.*

Hermentrudes, quam alii Hermingardim, & Irmogar-

gardam, alii Theodoram, alii Bertham appellant; Desiderii Longobardorum Regis & Ansæ filia, Caroli prima uxor, quam duxit A. 770. Anno sequenti repudiata est, & in cœnobio dicitur obiisse. *Eginart: Contin. Aimo: lib.* 4, *cap.* 69. *Avent. lib.* 4.

Hildegardis, nobilis Sveva, secunda uxor. Genuit Pipinum, Ludovicum, & Carolum, filiasque (juxta plerosque) tres, Rotdrudim, Bertham, & Gisalam. *Christianus Matthiæ* enumerat præter hasce Hildegardim; Adelheidam, Bellixardam, Immam, & Gertrudam. *Eginart. Contin. Aimo. Avent. loc. cit.* Obiit A. 783. *Chron. Herveld.*

Fastrada, Radolfi Austrasiæ Comitis filia, tertia uxor. Genuit Hildrudim, & Rothaidem; alii addunt Theodoram. *Eginart. Anon. Ann. Reg. Franc.* sub A. 783. *Contin. Aimo. lib.* 4, *cap.* 75. *Avent. lib.* 4.

Luitgardis, ex Alemannia, quarta uxor, ex qua nulli liberi. *Eginart. Contin. Aimo lib.* 4, *cap.* 90. Obiit A. 800. juxta *Anon. cit. & Regin.*; qui vocat ipsam Lindkardim. Adnotandum a *Vvolfg. Laz. lib.* 3. *in genealogia Francorum Carolingorum*, inter uxores Caroli recenseri, etiam Robedam, seu Galienam Galastrii Toletani Regis filiam; quæ ejusdem prima uxor fuerit; & ultimæ uxoris loco recenseri Gersuindam, seu Garsulam Comitissam de Ingelhaim; quam mox infra inter pellices numerabimus.

Præter hasce quatuor uxores, quatuor quoque recensentur ejusdem concubinæ. Matalgardis, quæ genuit filiam Rothildim; Reginophira, seu Regina, seu Reginopyrga (ut est apud *Aventinum*) ex qua nati Drugo, & Hugo: Gersuinda, ex qua Adeldrudis: Adhelinda, ex qua Theodericus. *Eginart. Avent. lib.* 4. *Munsterus in Geneal. Carl. M.* refert & Himmeltrudam; ex qua Pipinus gibbosus regnandi avidissimus; qui idcirco in Patrem conspiraverit: cujus mentionem faciunt *Peucerus*; & alii. Hanc addit *Vvolfg. loc. cit.* qui & aliam pellicem refert, nimirum Rothildem, quæ genuerit Adelrodum, Rotrudam, & Adelindam; adeo ut juxta citatum auctorem Carolus habuerit uxores sex, pellices verò quinque, ex iisdemque liberos 23.

NICEPHORUS, e Seleucia, Patricius Constantinopolitanus, redacta in ordinem Irena, quæ per quinquennium a filii morte imperium Orientis administraverat, eodem potitus est A. 802. Princeps impius, crudelis, & avarus. Pacem cum Carolo Magno fecit hac conditione, ut ambo Augusti appellarentur; notandumque firmatum inter ipsos tunc fuisse, ut Veneti inter utrosque medii, nulli prorsus obnoxii, libertate patria gauderent; ut videre est apud *Cuspinianum*, *Stradam*, & alios. Geminum gessit bellum cum Bulgaris, in quorum altero extinctus est, A. imp. 19. *Anon. cit. Zonar. in Niceph. Ann. Fuld.* sub A. 811, &c. Filium Stauratium, & Filiam unam saltem suscepit Procopiam, de quibus infra.

Bardanius quidam Orientis Dux, cognomento Turcus, a parte exercitus, quæ a Nicephoro defecerat, Chrysopoli salutatus est Imperator. Non multo post impunitatem ab Imperatore postulavit, & monasticam vitam subiit in insula Prota; sed Nicephorus jussit ipsi ibidem oculos effodi. *Cedren.*

STAURATIUS Nicephori filius, e pugna, in qua Pater occiderat, relatus in urbem, Imperator est dictus, A. 811. Cum autem Michaeli Curopalatæ strueret insidias, in quem Senatus vota ferebantur, depulsus ab eodem in Monasterium se se inclusit, A. imp. 1 nondum expleto. *Cedren. Zonar. in Staur.*

Theophania, Irenæ Imperatricis affinis, Stauratii uxor. *D. Niceph. Zonar. in Niceph.*

MICHAEL Curopalata, cognomento *Rancabes*, seu *Rancabenus*, *&* *Rangabi*, a Senatu jam dictus Imperator, confirmatus est A. 811. Princeps bene moratus, pacis amans, sed in rebus bellicis mirè socors. Audito Leonem Imperatorem electum fuisse, deposuit Imperium, & in cœnobium juxta nonnullos se recepit; sed a Leone relegatus est in insulam Protam cum tota familia sua, A. imp. 2. *Theoph. Cedren. Zonar. in Mich.*

Proco-

Procopia, Nicephori filia, Michaelis uxor. Genuit Theophilactum a Patre designatum Imperatorem, quem Leo castrari jussit, inde cum matre ac fratribus relegavit. Hi fuere Stauratius,& Niceta: Filiæ insuper Gorgones, & Theophania. *Auctores citati.*

LEO V, Armenus, Bardæ filius expulso Michaele, Imperium obtinuit A. 813. Crudelis, impius, iconomachus, in administrandis tamen rebus vigilantissimus. Bulgaros ingenti prælio vicit, & contra Arabes quoque feliciter pugnavit. Confossus est multis vulneribus a factione Michaelis Trauli, A. imper. 7 cum dimidio. *Cedren. Zonar. in Leo.*

Ex uxore, cui nomen juxta quosdam, Theodosia, juxta alios Theodora est, suscepit Sabbatium, sive Symbatium, qui designatus jam Imperator, Constantini nomen sibi adjunxerat; præterea Basilium, Gregorium, & Theodosium, qui in insulam Protam delati, & castrati sunt. *Ibidem.*

LXXX.



LUDOVICUS, *Pius* cognominatus a pietate quam semper exhibuit, Caroli M. & Hildegardis filius, successit in Imperio A. 814 Patri, a quo Imperialem coronam anno præcedenti jam acceperat; totamque ipsius insuper ditionem obtinuit, præter Italiæ regnum, quod Pipini fratris sui filio Bernardo datum est. Coronatus est autem A. 817, ut auctor est *Tritbemm.* in civitate Remorum a Papa Stephano IV, qui tunc temporis erat in

Gallia. Princeps pius, justus, liberalis, virtutumque exercitio Patris imitator. Bernardum Italiæ Regem regno suo non contentum, & armis nova sibi querentem supplicem ad se venire coegit; ipsique a Franciæ primoribus capitis damnato oculos jussit effodi. Cum post divisas res filiis suis Pipino, Lothario, & Ludovico, Juditham in uxorem assumpsisset, ex eaque Carolum procreasset, cui ditando aliorum status imminuebatur, in Patrem tres illi conjuraverunt, & captum prope Basileam in campo, qui ab eorum perfidia Mendacii campus dictus est, imperio dejecerunt. Diffidentibus autem iisdem fratribus inter se, unàque & Regni proceribus, pristinæ dignitati est restitutus, A. juxta *Regin.* 838, juxta alios 834. Ipse inde, omnibus non modò pepercit, qua erat pietate ac clementia, verum etiam omnes suo tempore missos in exilium revocavit; & de singulis, quæ publicè perperam gesserat, publicam egit pœnitentiam. Obiit in insula Rheni, prope Ingelheim, A æt. 64, imp. 27. *Anon. Ann. Reg. Franc. Regin. libr.* 2. *Sigeb. Ann. Fuld. Contin. Aimo. libr.* 4, *&* 5. *Avent lib.* 4.

Hermingardis, sive Irmingardis, Ingrami Saxoniæ Ducis filia, Ludovici uxor, ex qua nati Pipinus, Lotharius, & Ludovicus. *Contin. Aimo. lib.* 4, *cap.* 106. *Avent. lib.* 4. Obiit A. 828, juxta *Ann. Fuld.*

Juditha, filia Vvelsonis, seu Guelphi Comitis in Bavaria, secunda uxor. Genuit Carolum Calvum. Hanc Ludovicus mirè amavit, totusque ab ejusdem voluntate pependit; quare in Imperio motus, & plura mala. Repudiata igitur est A. (juxta *Sigeb.*) 830; sed, restituto ad Imperium Ludovico, resumpta. *Anon. cit. sub A.* 819. *Contin. Aimo. lib.* 4, *cap.* 107, *& lib.* 5, *cap.* 12. *Avent. lib.* 4.

MICHAEL, *Balbus* seu *Traulus* dictus quòd balbutiens esset, sordidissima gente ex Phrygiæ oppido Amorio natus, obtruncato Leone Orientis Imperator factus est A. 820. Fuit impius, & Orthodoxæ Religionis hostis acerrimus. Copronymi vitam sibi proposuit, & summo

mo ſtudio æmulatus eſt. Adverſùs Literas & Literatos infenſiſſimum ſe præbuit. Thomam tyrannum vicit. Magnam autem imperii diminutionem paſſus eſt, Cretam occupantibus Mauris, Siciliam Agarenis, Dalmatiſque in libertatem ſe vindicantibus. Obiit ex dyſenteria, A. imp. circiter 9. *Cedren. Zonar. in Mich.*

Prioris Michaelis conjugis nomen in incerto eſt (quidam vocant Theclam). Hoc ſcimus, natum ex ipſa Theophilum. *Auctor. cit.*

Euphroſine, Conſtantini VI & Mariæ filia, altera Michaelis uxor, quam ipſe de Monaſterio extraxit ut ſibi jugaret. A privigno ſuo Theophilo poſt mariti obitum cœnobio reſtituta eſt. *Ibid.*

Euphemius quidam, populi princeps, ſive juxta alios cujuſdam turmæ dux, rapta Monaca quadam in Sicilia, ut capitis periculum effugeret, Agarenorum qui erant in Africa Præfecto Siciliam prodidit, pacta mercede, ut ſe Imperatorem Romanorum appellaret. Res ex voto ceſſit; ſed Tyrannus brevi a duobus fratribus Siculis ibidem occiſus eſt. *Auct. cit.*

Thomas, vir quidam genere obſcurus, Conſtantini nomine ſumpto, nova molitus eſt ad tyrannidem occupandam in Aſia. Non levi collecto exercitu, contra Imperatorem trajecit in Europam, urbique jam imminebat. Sed Imperator ope Bulgarorum eundem repulit, & profligavit; ſibique tandem traditum poſt varios cruciatus occidit. *Ibidem.*

THEOPHILUS, Michaelis filius, Patri ſucceſſit A. 829, paternæ impietatis, & iconomachiæ prorſus hæres. Bello cum Saracenis parum feliciter geſto, in mærorem incidit, inde in dyſenteriam, qua periit, A. imp. 12. Fertur ejuſdem mortui os ita deductum, ut viſcera conſpicerentur. *Cedren. Zonar. in Theoph.*

Teodora, e Paphlagonia, Theophili uxor. Genuit Michaelem, Conſtantinum, Theclam, Annam, Anaſtaſiam, Pulcheriam & Mariam, *Auct. cit.*

Num-

Nummum Michaelis, & Theophili, quo pulcherrimo quidem, quantum temporum illorum patitur fœditas, gaudemus, hìc incidi curavimus. Cæterorum Orientalium nummis, cum eorundem, quæ par erat, copia destituamur, manca sit series nostra oportet: Lectorem ideo ad opimas remittimus Tabulas illas, quæ in præclaris extant operibus *Ducangii, & Bandurii*, nobis aliàs laudatis.

LXXXI.



LOTHARIUS, Ludovici Pii ex Hermingardi natu maximus, a Patre Rex Italiæ ac Imperator declaratus, regnare cæpit A. 840. Monarchiæ universæ acquirendæ libidine captus, fratrum ditiones invasit, a quibus duplici prælio victus est, altero ad Vicum Fontanetum in Burgundia A. 841, altero ad Argentoratum anno sequenti. Ita *Ann Fuldens.*; cum plerique alii scriptores unius tantum prælii mentionem faciant. Rebus ideo compositis nova facta est Imperii divisio, ipsique ex Transalpinis provinciis ea tantùm cessit, quam a suo postea nomine Lotharingiam appellavit. Imperium sponte deposuit, & Prumiense monasterium ditionis Trevirensis ingressus est, ubi eodem anno obiit, post Imp. annum 15. *Sigeb. Regi. Ann. Fuld. Avent. libr. 4. Contin. Aimo. libr. 5.* Hoc Imperatore scribit *Tritbem.* factam fuisse Regni Francorum divisionem, nimirum in regnum Galliarum, ut hodie adhuc extat, & Regnum Germaniæ; cum antea Gallia & Germania ferè sub uno nomine Franciæ continerentur.

Her-

Hermingardis, nobilis & pudica matrona, Lotharii uxor. Genuit Ludovicum, Lotharium, & Carolum. *Anon. Ann. Reg. Franc.* sub A 821. *Contin. Aimo. lib.* 4, *cap.* 109. *Avent. lib.* 4.

MICHAEL III, Theophili filius, successit Patri adhuc puerulus, sub tutela Theodoræ matris piissimæ ac sapientissimæ, A. 842. Per eandem Imaginum cultus est restitutus, & Bulgari Christi fidem susceperunt. Michael autem matris impatiens, ipsam A. imperii sui 14 redegit in ordinem, inclusitque cœnobio, ubi paulò post obiit. Solus igitur rerum summam administravit, sed vitiorum omnium professione; totumque se nugis, temulentiæ, stuprisque dedit. Expeditionem in Syriam infeliciter suscepit; immensosque thesauros, quos mater collegerat, brevissimè dissipavit. Bardam avunculum suum Cæsarem creatum jussit interfici. Ipse autem a Basilio, quem post Bardam consortem fecerat Imperii, occisus est dum noctu cubat, A. ætat. 41 circiter, imp. 25. *Cedren. Zonar. in Mich.*

Eudocia, Decapolitæ filia, Michaelis uxor. *D. Niceph.*

Bardas, Michaelis avunculus, ab eodem, quem ad repellendam matrem hortatus fuerat, Cæsar factus est A. 856; nec malum principem egit; nam literarum studiosissimus easdem penè mortuas revocavit. Cum autem nepotis vitia, ineptiasque redargueret, ejusdem jussu, qui & spectator esse voluit, occisus est, A. ab electione sua circiter 10. *Cedren. Zonar. in Mich.*

LXXXII.

LXXXII.



LUDOVICUS II, Lotharii filius & Hermingardis, a Patre Rex Italiæ & Imperator declaratus, successit eidem A. 855. Princeps literatus, pius, clemens, justus, Ecclesiæ defensor, *eleemosinarum largus largitor*. Adalgisum Beneventi Ducem, qui a Græcis impulsus contra Imperatorem conspiraverat, repressit, &, in Corsicam insulam fugere coegit. Saracenos Italia fortiter expulit, Normannosque ex Gallia. Obiit Mediolani A. imp. circiter 20. *Sigeb. Reg. lib.* 2.

Lvitgarda, Vuelphi Ducis in *Svevia* filia, Ludovici uxor. Genuit unicam filiam Hermingardim, quam Carolus Calvus Matrimonio junxit Bonoso Duci strenuo; ex hisque natus est Ludovicus ille Rex Italiæ, & Imperator, de quo infra. *Sigeb. sub A.* 878. *Regi. sub A.*877.

BASILIUS, natione Armenus, in Macedonia tamen natus, qui genus trahere perantiquum dicebatur a Michaelis familia, Bardæ Cæsari substitutus, Imperium obtinuit A. 867. Imperator pius Imaginum promovit cultum, & Catholicam Religionem fovit, & auxit. Saracenos in Asia sæpius, & præsens, & per Legatos ingentibus damnis affecit. Obiit ex dysenteria juxta quosdam, juxta alios, ruptis intestinis ex ictu cornuum cervi, quem humi exanimem raptare tentaverat, A. imp. circiter 20. *Cedren. Zonar. in Basil.*

Eudocia, pulchra & pudica fæmina, de stirpe nobilissima Martinacia, Basilii altera uxor. Genuit Constantinum,

num, Leonem, Alexandrum, Stephanum, & filias quatuor. Ex iis Conſtantinus Auguſtus cum Patre dictus eſt, obiitque Anno ætat. 13. *D. Niceph. Cedren.*

LXXXIII.



CAROLUS II, a calvitie capitis *Calvus* cognomento, Ludovici Pii ex Juditha filius, mortuo ſine liberis Ludovico II, in Italiam ex Gallia quam regebat armatus advolavit, blandèque eluſis Ludovici Germaniæ Regis fratris ſui filiis, quos Pater ad Imperium aſpirans miſerat contra Carolum, ne eodem ipſe potiretur, Imperii Coronam a Pontifice Joanne VIII accepit, unàque Italiæ Regnum adeptus eſt A. 875. Superbus fuit, ambitioſus; ac in bellis timidus, & ignavus. Literatis autem faviſſe dicitur ſupra modum, & ſacras ſanctiones e variis ſynodis collectas ſapienter ordinaſſe. Germaniæ regnum nepotibus ſuis patre orbatis eripere cogitavit; ſed ipſi contra eundem moverunt, quem & vicerunt ad Andernacum, & in Italiam etiam laceſſivere. Fugiens ipſe idcirco Verona Mantuam, epoto ibidem pharmaco veneneto fraudibus Sedechiæ Medici Judæi, obiit 11 diebus poſt ex dyſenteria A. imp. 2. Alii non Mantuæ, ſed in Alpium tranſitu occubuiſſe ſcribunt. *Sigeb. lib.2. Ann. Fuld. Contin. Aim. lib. 5. Avent. lib. 4.*

Hermintrudis, quam & Irmotrudam, & Germindrudim appellari obſervamus, Caroli prima uxor. Nati ſunt ex hac Ludovicus Balbus, Lotharius, Carolus, & Carolomannus. *Contin. Aimo. lib. 5, cap. 24. Avent. lib. 4. Peucerus* ipſam ſecundæ uxoris loco ponit, ex eaque filiam

quo-

quoque natam scribit, quæ Judithæ nomine aliquibus appellatur.

Richildis, Bovini Comitis filia, Bosonis Burgundi soror, Caroli uxor, quam ipse antea concubinæ loco habuisse traditur. Ex hac natus filius, qui brevi mortuus est, &c. *Cont. Aimo. c. cit.* & 30. *Avent. libr.* 4. Sunt qui duos referant, Carolum, & Ludovicum.

LXXXIV.



LUDOVICUS III, *Balbus* dictus quòd impeditioris esset linguæ, Caroli Calvi ex Hermintrudi filius, Patrem excepit in Galliæ regno & Imperio, coronatus a Joanne VIII, qui ex hostium suorum Carolo Crasso faventium manibus fuga lapsus ad Ludovicum confugerat in Galliam, A. 878. Princeps pietati deditus, justitiæ ac pacis amator, infirmæ verò valetudinis; quare periit Compendii in Gallia, A. imp. 1 cum dimidio, non sine tamen veneni suspicione. *Sigeb. Regi. l.* 2. *Ann. Fuld. Contin. Aimo. lib.* 5, *cap.* 36, *&c.*

Ansgarda, mulier nobilissima, Ludovici prima uxor. Hanc inscio patre sibi junxit; ideoque repudiare compulsus est, susceptis priùs tamen ex eadem Ludovico, & Carolomanno. *Regi. lib.* 2. *Avent. lib.* 4.

Adoleda, sive Adheleida, secunda uxor. Genuit Carolum Posthumum, qui & Simplex dictus est. *Ibid.*

LXXXV.

LXXXV.



CAROLUS III, a corporis habitudine *Crassus* appellatus, Ludovici Germaniæ Regis ex Hemma filius, Imperatorum Lotharii & Caroli Calvi nepos, Galliæ regno potitus, in Italiam properavit, & a Pontifice Joanne VIII coronam accepit A. 880; juxta alios verò A. 881, & 882. Expulsis ex Italia Saracenis Regnum Italicum quoque sibi adjunxit, inde & Germanicum adeptus est mortuo fratre suo Rege; ut post Carolum Magnum primus fuerit, qui solus universam ejusdem Monarchiam obtinuerit. A Reginone prædicatur ut *Christianissimus*, *Deum timens*, *Orationi indesinenter deditus*, aliisque præconiis summè tollitur. Quidquid sit autem certius est, ipsum rem non pro imperii decore administrasse, sive hoc ignavia, sive infelicitas fuerit, nam variè sentiunt pro suo quisque studio Scriptores. Irrumpentibus in Neustriam Normannis, Godefrido & Sigefrido Ducibus, iisdem se imparem cernens pacem obtulit, ejusque provinciæ partem concessit, quam ipsi postea de suo nomine Normanniam appellavere. Inde, cum ineptus regno ab omnibus judicaretur, depositus est a suis A. juxta *Reginonem*, *& Ann. Fuld.* 887, septimo nimirum imperii; juxta *Sigebertum*, qui in Chronologia ab aliis sæpissimè discrepat, 891. Privatam egit inde vitam in mendicitate, stipem ab Arnulpho successore suo petere coactus; obiitque sequenti anno, seu ex mærore, seu ejusdem Arnulphi jussu strangulatus. *Regin. lib. 2. Sigeb. Ann. Fuld. Contin. Aimo. lib. 5, cap. 40, &c. Avent. lib. 4.*

Ri-

Richardis, Scotiæ Regis filia, Caroli Crassi uxor. Repudiata est a marito ob conceptam de adulterio suspicionem cum Luiduardo Episcopo Vercellensi. Ipsa verò aquæ fervidæ, & candentis ferri tormenta fortiter subeundo, innocentiam suam non modò testata est, sed & virginitatem patefecit, impotente ad concubitum marito. Post repudium ingressa est cœnobium, ibique piè obiit. *Sigeb. sub A.* 889. *Avent. lib.* 4.

LEO VI, cognomento *Sapiens*, seu *Philosophus*, Basilii filius, Patri successit in Oriente A. 886. Vir liberalibus disciplinis eruditus, Astrologiæ addictissimus, pius, & in custodienda Republica omnino solers, in bellis autem parum felix; nam & a Bulgaris, & a Saracenis victus est. Obiit ex cæliaco morbo, A. æt. 42, imp. circiter 25, *Cedren. Zonar. in Leo.*

Theophano, seu Theophania, Stephania quoque dicta, Constantini Martinacii filia, Leonis prima uxor. *D. Niceph.*

Zoe, Zautzæ filia, secunda uxor, qua jam ante pro concubina fuerat usus. Obiit Anno 1 cum dimidio post conjugium, genuitque Annam. *Cedren. Zonar.*

Eudocia, puella ex Opsicio, sive Obsequii Themate, tertia uxor. Obiit in partu unà cum fætu. *Ibidem.*

Carbonopsina Zoe, quarta uxor. Genuit Constantinum Porphyrogenitum. *Ibidem.*

LXXXVI.

LXXXVI.





ARNULPHUS, Carolomanni, Ludovici Germaniæ Regis filii, ex Carentina meretrice filius, a Germanis Proceribus Carolo Crasso suffectus est A. 888. Sclavos, & Normannos victoriis ingentibus repulit, & domuit. Berengarium Italiæ Regem adversùs Guidonem (de his clariùs infra) juvit. A Pontifice Formoso vocatus contra Lambertum Guidonis filium, rursum in Italiam venit, Urbeque capta a Pontifice Imperialem coronam accepit A. 896. Latitante interim, & fuga sibi consulente Lamberto, ejusdem mater Agildrudis Firmum se receperat. Ad urbis obsidionem perrexit Arnulphus; sed Fœmina callida viribus se imparem cernens dolo egit; & corrupto Imperatoris cubiculario, eidem poculum propinavit, ex quo in veternum delapsus est. Obsidionem igitur solvit, & Lombardiam petiit, ubi Berengarii necem cùm moliretur, ab Italis despectui haberi cæpit; cumque Papiam ipse pervenisset, ingentem Germanorum cædem Cives ediderunt. Properavit igitur in Germaniam suam; obiitque in rabiem conversus, & putrefacto corpore, vermibus & pediculis laceratus, Oetingæ in Bavaria; A. ab electione 11, aut 12, secundùm alios, ab accepta corona 3. *Herm. Contract. Regin. lib. 2. Sigeb. Ann. Fuld. Luithpr. lib. 1, cap. 7, &c.*

Agnes, Græcorum Imperatoris filia, Arnulphi prima uxor. Genuit Arnulphum, sive Arnoldum Malum, & juxta quosdam, Vvernerum. *Munster. lib. 3.*

Deyta, sive Jutta, secunda uxor. Genuit Ludovicum, & Ludgardam. Invenimus & Helingardam ejusdem concubinam, ex qua Senebaldus, seu Zuendeboldus. Natos quoque legimus Arnulpho Bertholdum, sive Rupoldum, & Bertham non legitimis nuptiis; ex qua verò muliere non constat. *Ibidem*.

GUIDO, seu Vvido Spoleti Dux, post Caroli Crassi depositionem, cum Berengario Forojuliensi Duce pactus, ut Italicum Regnum ipse, Gallicum autem Guido idem acquireret, a Gallis levi quadam ex causa repulsus, in amicum rupto fœdere movit, ipsumque bis fudit; primò ad Trebiam amnem, secundò prope Veronam A. 890. Anno sequenti verò a Formoso Pontifice Imperator est renunciatus, sive quòd Saracenos expulisset ab Italia, ut quibusdam placet, sive quapiam alia de causa, cùm jam a Germanis, ut diximus, Arnulphus fuisset electus. Restituto autem in Italiæ regno ejusdem Arnulphi ope Berengario, dum ipsum Arnulphum in Germaniam redeuntem insequitur, abrupta repentè vena, spiritum cum sanguine evomuit A. 894, ad Tarum amnem. Luithprandus ejusdem obitum ponit sub A. circiter 897, post captam scilicet Romam in secundo Arnulphi adventu, immo post obsessam Firmi Agiltrudim: Sed contra hoc cæteri omnes auctores stant, inter quos *Ann. Fuld.* quorum quanta sit auctoritas nemo non novit. *Regin. lib. 2. Sigeb. Luithpr. lib. 1, cap. 6, &c. Sigon. Regn. Ital. lib. 6. Putean. lib. 5.*

LAMBERTUS, sive Lanthbertus, Guidonis filius, paterni odii hæres in Berengarium, mortuo patre, eundem insecutus est, ab Italis Patri suo faventibus vocatus ad regnum, expulsoque Berengario A. 894. Hoc autem post secundum Arnulphi Imperatoris in Italiam adventum rebus rursum restituto, fugiit Lambertus, donec intruso in Pontificatum Stephano, qui Formosi acta omnia rescidit, ad regnum est revocatus, & Imperiali corona insignitus A. circiter 896; nimirum non multo post quàm

eandem

eandem a Formoso Arnulphus acceperat. Patet hoc dubio procul ex iis, quæ Sigonius affert, cæteris ferè de hujus in Imperatorem electione mentionem non facientibus. Occisus est autem A. 898, dum venationi vacaret, ab Ugone filio Manfredi Comitis Mediolanensis, jussu Guidonis interfecti, qui clavam capiti ejusdem impegit, ut videretur, quasi ex equo lapsus idem silicibus elisisse. *Regin. libr.* 2. *Sigeb. Luitbpr. libr.* 1, *cap.* 11, *&c. Sigon. libr.* 6. *Putean. lib.* 5.

LUDOVICUS, Bonosi seu Bosonis filius ex Hermingardi Ludovici II filia, cum esset Provinciæ Comes, ab Italis ad Italiæ regnum vocatus est mortuo Lamberto A. 898. Statim ae regnum hoc adeptus est, Imperialem Coronam quoque ipsum accepisse scribunt *Regino*, & alii; quocirca ipsum huic operi inseruimus. Berengarius autem Rex legitimus repulsam passus, in eundem movit, quem & adeo circumvenit, ut ipsi omnem evadendi copiam ademerit. Quapropter Ludovicus Berengarium obsecravit, ut se incolumen dimitteret, jurejurando pollicitus se nunquam amplius in Italiam reversurum; vitamque hoc pacto ac libertatem obtinuit. Anno autem 901 rursum ab Italis vocatus, promissi immemor in Italiam descendit, eoque Anno *Sigon.* cum aliis Imperatorem a Benedicto Pontifice creatum fuisse tradunt. Berengarius interim in Bavariam se recepit; anno verò sequenti, cum intellexisset Ludovicum exercitum suum dimisisse, data occasione usus in Italiam evolavit, corruptisque Veronæ custodibus urbem est ingressus; statimque Ludovicum captivum habuit, & excæcavit. *Regin. l.* 2. *sub A.* 898. *Sigeb. Luitbpr. lib.* 2, *cap.* 10. *&* 11. *Sigon. lib.* 6. *Putean. lib.* 5.

LXXXVII.



LUDOVICUS IV, Arnulphi filius ex Deyta, mortuo patri suffectus est a Germanis Principibus A. 899, seu 900, juxta alios; cumque puerulus esset, dati sunt ipsi tutores Otho Saxoniæ Dux, & Hatto Episcopus Moguntinus. Imperii coronam nunquam accepit; ideo a quibusdam inter Imperatores non numeratur. Fuit princeps probis moribus, & prudentia præditus; sed regni sui tempore parum felix. Nam primò pluribus civilibus bellis divexatus est; inde autem ab Hungaris plurima damna in Bavaria præcipuè perpessus, victus est etiam ingenti prælio prope Augustam Vindelicorum, quod per tres dies durasse traditur. A quibusdam etiam dicitur pacem ab iisdem auri vi magna redemisse, ob idque in mærorem delapsum obiisse, A. æt. 19, aut 24 secundùm alios, imper. 2. *Herm. Contract. Sigeb. Regin. lib. 2. Luitbpr. lib. 2. Peucer. lib. 4, in Lud.*

Mathilda, quam alii Ludgardam vocant, Othonis M. juxta quosdam soror, Ludovici uxor. Hæc nihil liberorum genuit. *Peucer. ibid.*

ALEXANDER, Leonis VI frater, successit eidem in Imperio Orientali A. 911. Princeps crapulæ, luxui, libidini deditissimus, ignavus, impius, & nullius ferè religionis. Obiit rupta repente vena, dum vino madens nimis violenter corpus exerceret, A. imp. circiter 1. *Cedren. Zonar. in Alex.*

CON-

CONSTANTINUS VII, Leonis Sapientis & Zoes filius, successit patruo A. 912, sub tutela Nicolai Patriarchæ, & aliorum. Fuit ipse quoque crapulæ, ac libidini deditus, prætereaque sævissimus in puniendo. Scientias tamen ferè omnes instauravit. Constantinum Ducam Imperium ipsi rapere conatum vicit, & obtruncavit. Bellum gessit cum Bulgaris per Leonem Phocam præfectum vario eventu, & mutua clade. Romanum Locapenum in collegam assumptum tyrannum quasi passus est: Eodem verò a propriis filiis expulso, auctoritatem resumpsit, parricidas tamen comprehendi jussit; ac relegari; regnavitque adhuc solus A. 15. Sublatus est per venenum a Romano filio A. æt. 56, imp. 48. *Cedren. Zonar. in Const.*

Helena, Romani Locapeni filia, Constantini uxor. Genuit Romanum, Theodoram, Agatham, Theophaniam, & Annam. *Cedren.*

Romanus Locapenus, Classis Præfectus, a clade Bulgarica reversus damnatus fuerat; sed a quibusdam apud Imperatorem gratiosissimis liberatus; adeo etiam profecit, ut Constantinus passus fuerit ipsum Imperatorem coronari, & sibi collegam fieri. Rerum summa idem potitus, totam ferè sibi auctoritatem asseruit, sicque ex placito administravit, ut Constantinus non amplius Imperator videretur. A propriis filiis suis, Imperatore impellente, depositus est, & tonsus in Protam insulam relegatus. Imperium tenuit per Annos 26. *Cedren. Zonar. loc. cit.*

Theodora, Romani Locapeni uxor. Genuisse traditur Christophorum, Stephanum, Constantinum, Theophylactum, Helenam & Agatham. Ex maribus tres primi Imperatoris nomine a Patre donati sunt.

LXXXVIII.





CONRADUS, Conradi Franconiæ Ducis filius, mortuo sine liberis Ludovico, electus est Imperator in Germanis comitiis A. 911, aut 912. Omnes quidem ferè in Othonem Saxoniæ Ducem intendebant, sed ipse invalidus ex senectute Conradum proposuit eligendum. Princeps mansuetus, religiosus, prudens, bellica virtute, & animi magnitudine clarus. Bella perpetuo ferè gessit, tum interna, tum externa. Plures enim ex Germaniæ primoribus in ipsum statim conspiraverunt; sed omnes sapientia & fortitudine repressit, & pacavit. Atrox inde bellum gessit cum Henrico Saxoniæ Duce; quod innumerabilem penè hominum multitudinem hinc inde absumpsit; sancita verò pace tandem diremptum est. Hungaros Imperii ditiones devastantes bis fudit; qui tamen, cum in Italiam e Germania descendissent, in reditu Germaniam rursum turbavere, pluribusque damnis Conradum affecerunt; quare pacem iniquis conditionibus, annuaque pensione ab iisdem emere, juxta quosdam, coactus est. Obiit A. imp. 7, aut 8. *Herman. Contrac. Regi. Sigeb. Luitbpr. lib. 2, cap. 7.*

Placentia, Ludovici Germaniæ olim Regis filia, Conradi uxor. *Peuc. in Conr.*

BERENGARIUS Dux Forojuliensis, Everhardi, seu Ennarhardi filius ex Bertha-Gisela, quæ Ludovici Pii filia a nonnullis fuisse traditur, mortuo Carolo Crasso, Italiæ Regnum obtinuit A. 888. Variè fatis exagitatus,

tatus, ut in Historia Guidonis & Lamberti jam dictum est, sublatis tandem hostibus & æmulis regnum suum recepit A. circiter 902, quod per multos annos pacificè rexit. Anno verò 915, cum egregie Pontificem Joannem X contra Saracenos & Mauros Italiam infestantes juvisset, coronatus est Romæ in Imperatorem ab eodem. Vocato inde ab æmulis Berengarii Rotulpho de Burgundia, coactus ipse est Veronam fugere, & regnum hosti relinquere. Ibi, dum oraturus matutinò de more templum ingreditur, a Flamberto quodam compatre suo transfixus est in vestibulo Templi ejusdem A. 923; imp. scilicet 9. *Luithpr. lib. 1, cap. 6, &c. & l. 2, cap. 17, &c. Regin. lib. 2. Sigeb. Candid. lib. 4. Sigon. lib. 6 Putean. lib. 5.*

LXXXIX.



HENRICUS, *Auceps* cognomento quòd aucupiis & venatione mirè delectaretur, sive quòd, dum caperet aviculas, invitus fuerit electus, ut adnotat *Compil. Chron.* Othonis Saxoniæ Ducis filius ex Ludgarda Arnulphi Imperatoris filia, a Conrado moriente in successorem suum designatus, confirmatus est in comitiis Imperialibus A. 919. Princeps omni laude dignus, & omni genere virtutum excellens. Burchardum Sveviæ Ducem tumultuantem repressit. Arnulphum Bavariæ Ducem ad Imperium aspirantem coercuit, non armis, nec sanguine, sed consilio ac sapientia, affinitate etiam cum eodem contracta. Cum Carolo Franciæ Rege propter Galliam Belgicam disceptavit, utroque ipsam sibi arrogante; sed ex voluntate amborum die ad res agendas con-

stituta, Belgica Henrico cessit. Hungaros non semel fudit; anno præsertim 932 innumerabilem ipsorum edidit cædem, qua Germaniam a tributis liberavit, quæ olim Ludovicus IV, & Conradus solvenda Barbaris assumpserant. Vandalos, Danos, Sclavos, Dalmatas, Bohemos, partim repressit, partim subegit. Marchionatus ferè omnes per Germaniam instituit. Dum in Italiam transire meditatur obiit ex paralysi juxta *Cuspinianum* Memslebiæ (*Luithpr.* habet in oppido *inter Thuringorum, & Saxonum confinia, & dicitur Himeleuna ;* ipsumque ita vocat etiam *Ursperg.*) An. æt. 60, imp. 17, juxta alios 18. *Herman. Contract. Luithpr. libr.* 2, *cap.* 7, *&c. & libr.* 4, *cap.* 7. *Rosuit. Carm.* 3. *Regino lib.* 2. *Ot. Fris. lib.* 6, *cap.* 19. *Vvitich. lib.* 1.

Hatburga, Comitis Oldenburgensis filia, Henrici prima uxor. Hanc eduxit de cœnobio, quo se incluserat post mariti prioris obitum, inde dimisit, ne diutius in conjugio teneret virginem Deo consecratam. Natus est ex ipsa Dranckuverdus. *Christ. Matth. in Henr. cap.* 2.

Mechtildis, Diderici Comitis in Hingelheim (*Sigeb.* ait Theoderici Saxonum Regis) filia, altera uxor. Genuit Othonem Magnum, Henricum Rixosum, Brunonem, Mechtildem, Gerbergam, Adelheidam, Rixam, & aliam, cujus nomen in obscuro est. *Sigeb. Ursperg.* juxta quem obiit A. 969. Laudes ipsius vide apud *Vvitich. lib.* 3, *sub fine*. In Sanctorum numerum ipsam relatam testantur Martyrologia.

XC.

X C.





OTHO, a gestarum rerum magnitudine *Magnus* nuncupatus, Henrici Aucupis ex Mechtilde filius, paternam ditionem suscepit A. 936. Princeps miræ virtutis in bellis, in omnique actione sua non mediocris. Venas auri, & argenti in Saxonia primus aperuit, si credimus *Urspergensi*. Bellum statim gessit internum cum Henrico fratre suo, qui post quadriennium tandem supplicem se ipsi exhibuit, & pœnitentiam egit, quam describit *Rosuitha Carm.* 12. Ab Hungarorum incursionibus Germaniam felicissimè liberavit. Comitem Palatii Eberardum, & Giselbertum Lotharingiæ Ducem rebellantes perdomuit. Boleslaum Bohemiæ Regem longo bello adeo defatigavit, ut pacem petere coactus fuerit. Lotharingiam, & Burgundiam subjugavit. Ludovicum Galliæ Regem ab Hugone Capeto malè habitum solio restituit. In Italiam venit adversus Berengarium A. 951, quem sequenti anno per Conradum generum suum vicit, & ad se supplicem cum filio venire compulit. Secundam quoque suscepit in Italiam expeditionem A. 961, adversus eundem Berengarium, qui Othone absente regno se se restituerat; ipsumque expugnatum ac captum iu Bavariam misit A. 964. Romam interim ingressus, Imperii coronam accepit A. 962, à Joanne XII, quem mox deposuit, utpote eum qui Berengario faveret, in ejusque locum Leonem intrusit. Hunc Romani ferè statim deposuerunt, & Othoni struxerunt insidias, qui facta Romanorum cæde, non sine tamen suorum sanguine, Leonem restituit. Othone autem in

Ger-

Germaniam reverso, ipsum deturbavere rursum Romani, Joanne revocato, eidemque mortuo suffecto Benedicto. Quocirca irarum plenus reversus Otho, Urbem vi cepit, & Pontificem Hamburgum ire jussit in exilium. Iterum igitur ad Pontificatum evectus est Leo, cui defuncto Imperator Joannem XIII subrogavit; sed & hunc Romani in vincula conjecerunt. Quocirca quartò rediit in Italiam Otho A 966; Pontificem liberavit, & seditionis auctores variè punivit. Interea post primum in Italiam transitum bellum gessit anno circiter 953, & 954 cum Lutholpho, seu Letalfo filio suo, qui ægrè ferebat superinductam sibi Novercam Adheleidam: Hic autem sæpius victus, desertus tandem ab omnibus, supplicem ad patris pedes se demisit. Græcos in Calabria vicit, & ex Italia profugos egit. Obiit in civitate, in qua pater, A. ab electione 37, ab accepta verò corona 11. *Luitbpr. lib. 3, cap. 7, &c. & lib. 6. cap. 6. &c. Vviticb. lib. 2, & 3. Rosu. Regino lib. 2. Sigeb. Otho Fris. lib. 6, cap. 19. &c. Herm. Contr.*

Editha, quam Edgid, Otgit, Etheit, Edidim appellari observamus, Edmundi Anglorum Regis filia (*Rosuitha* habet Eduardi, & *Luitbprandus*, ipsam dicit Regis Andelstani fratris filiam), fœmina sanctissima, Othonis prima uxor. Genuit Lutolphum, & Guilielmum; filiamque Liutgardam. *Regi. libr. 2, sub A.* 930. *Sigeb. sub A.* 934. *Rosui. Carm.* 15.

Adheleida, Rotulphi, Burgundiorum Regis filia, desponsata priùs Lothario Italiæ Regi, secunda uxor. Genuit Henricum, Brunonem, Othonem II, & Adheleidam. *Regin. lib. 2. Chron. Herveld. sub An.* 951. *Sigeb. sub An.* 954. *Rosui. Carm.* 20, & 22.

BERENGARIUS II, Adalberti Eporhediæ Marchionis filius, Berengarii I nepos, regnum Italiæ consecutus est post Lotharium A. 950. A quibusdam etiam Imperialis dignitas ipsi attribuitur; inter quos sunt *Strada*, *Blond. Dec.* 2, *lib.* 2. *Platina in vita Agapiti II Pontificis*; hocque supponere videtur, & *Benven. in vita hujus*

jus Bereng. qui tamen perperam vocat ipsum Berengarium IV, quæ de Berengario I. diximus tribus Berengariis adscribens, in quem errorem ferme incidere etiam *Philip. Bergomensis* in Chronico, & quidam alii. Hunc ideo ab hac nostra serie secludere noluimus, cum melioribus tamen sentientes, Imperatorem ipsum non appellatum affirmamus. Et clarè hoc patet ex Diplomatibus ejusdem, in quibus nomen Imperatoris nunquam legitur, ut videre est apud Sigonium præcipuè, qui summo labore ac diligentia Historiarum veritatem ex antiquis monumentis perquisivit, & feliciter eduxit. Ab Othone Magno per Conradum victus A. 952, cum supplex veniam postulasset, libertatem obtinuit, & regnum. Cum verò nova seditiose moliretur, implicito in aliis bellis Othone, ab eodem petitus est rursum A. 963, & captus, inque Austriam, seu Bavariam secundùm alios, missus cum uxore Vvilla; Obiitque Bambergæ A. 966. *Candid. lib. 4. Ot. Frisf. lib. 6, cap. 19, &c. Regi. libr. 2. Sigeb. Luitbpr. libr. 3, cap. 5. & 6. Rosui. Carm. 20. &c. Marian. Scot. in Othone. Putean. lib. 6.*

ROMANUS, Constantini VII filius & Helenæ, sublato per venenum patri successit in Oriente A. 960. Princeps impius, libidini crapulæque deditissimus, quibus solis vivebat. Per Legatos Saracenos vicit. Obiit extenuatus, & consumptus ab immodica crapula A. æt. 24, imp. 4. inchoato. *Cedr. Zonar. in Rom.*

Theophano, Romani altera uxor. Genuit Basilium, Constantinum, quem pater coronavit, & Annam Theophaniam. *Ibidem*.

NICEPHORUS PHOCAS, vir strenuus, a militibus in Oriente Imperator factus est, & Romani filiis prælatus A. 963. Avaritiæ supra modum addictus, nova tributa adjecit, & numismatum pondus imminuit. In bellis autem felix, nonnullas provincias in Asia Imperio subjugavit. Othoni Magno Annam Theophaniam Romani filiam pro Othone secundo ejusdem filio despondit; sed

sed cum nobiliores Germani ex aula atque exercitu ad accipiendam honorificè sponsam ad Calabriæ fines processissent, omnes ipse jussit obtruncari. Qua re percitus Otho, validissimo coacto exercitu, innumeram fudit Græcorum vim, Apuliamque ac Calabriam ipsis eripuit. Commotis idcirco omnibus, Constantinopoli Imperator occisus est A. æt. 57, imp. 6. Ita *Vitich. Sigeb.* & alii ex Latinis. *Manass.* autem *Cedren. Zonar.* rem aliter scribunt; facti hujus cum Othone mentionem non faciunt, ejusdemque mortis caussam in uxorem refundunt, Joannis Zemiscis amore captam.

Theophano, Romani, ut supra diximus, uxor, Nicephoro postea nupsit. Hæc, dum maritus populi seditionem fugiens intra Palatium se se tueretur, Joannem Zemiscem supra dictum impositum corbi a portu attraxit, ut eundem occideret. Joanne autem Imperatore facto, relegata est, inde sub filiorum Imperio restituta. *Manass. Cedren. Zonar.*

JOANNES ZEMISCES, sive Tzimisces, occiso Nicephoro, potitus est Imperio, sibique socios fecit Romani filios, A. 969. Princeps fortissimus, multisque præliis adversus Saracenos, & Roxolanos felicissimus. Obiit veneno sublatus a Basilio cubiculario suo, A. imper. 6. *Zonar.*

Theodora, Constantini VII filia, Joannis uxor. *Ibid.*

Bardas Phocas, Nicephori Phocæ ex fratre Leone nepos, imperante Joanne, nova molitus est; captaque Cæsarea Cappadociæ, Imperatorem se dixit. Jussu Imperatoris relegatus est in insulam Chium, & Clericus factus. Pater quoque ipsius cum alio filio Nicephoro Imperium affectavere, sed excæcati sunt, & in Protam Insulam relegati. *Cedren. Zonar. in Joan.*

XCI.

X C I.



OTHO II, Othonis Magni & Adheleidæ filius, Imperator jam electus a Patre, successit eidem A. 973. Adnotandum, a *Christiano Matthiæ* Rufi cognomen a colore & crinibus huic assignari, quod in *Compil. Chro.* Othoni III attribuitur. Princeps virtutibus praeditus, qui & imperium laudabiliter administravit. Bella gessit statim plurima: Cum Henrico Hezelone Bavariæ Duce, qui se se in Othonis odium Imperatorem nominaverat; cum Uldarico, seu Boleslao secundùm alios, Bohemiæ, & Haraldo Daniæ Regibus Henrico faventibus; & cum Lothario Rege Francorum, qui Lotharingiam armatus repetebat. Et illos quidem ferè sine armis soloque terrore compescuit, & arma deponere coegit; cum hoc verò aliquanto difficiliùs bellandum fuit: Et licèt aperto marte Otho victor exstiterit, per insidias tamen inimicorum plura perpessus est detrimenta, & quasi in manus inimicorum devenit. Lotharingiam tamen recuperavit, ejusdemque partem Carolo Lotharii fratri dono dedit hac lege, ut tanquam Germaniæ provinciam ex Imperatoris beneficio possideret. Maxima verò memoria dignum est bellum cum Græcis A. 980 inceptum, cum Basilius Orientis Imperator abreptas ab Othone I Apuliam & Calabriam recipere tentaret. Otho in Italiam delapsus multum profecit, pluribus in locis Græcorum præsidiis debellatis. Anno autem 982, acerrima commissa pugna, Imperatoris exercitus disjectus est, ipseque, dum fugit in parva scapha, comprehensus: Sed pro mercatore se gerens, nec pro Othone agnitus, se se citò in liber-

libertatem vindicavit. Romam inde perrexit, ubi, cum multos ex Italorum Proceribus ad splendidissimum in Vaticanum convivium invitasset, inter epulas dato signo, plurimos ex iis conjurationis cum Græcis suspectos jussit obtruncari; ob idque Sanguinarii nomen reportavit. Bellum reparavit inde cum Græcis; at inter pugnandum venenata sagitta ictus, ex vulnere obiit (alii dicunt ex animi mœrore) Romæ, An. ætat. 29, imper. a morte patris 10 cum dimidio. *Ot. Fris. lib. 6, cap. 25. Chron. Herveld. Sigeb. Peucer. in Ot. II.*

Anna Theophania, Romani Orientis Imperatoris filia, Othonis uxor, eidem tradita a Joanne Zemisce. Genuit Othonem, & Hugonem, quem alii vocant Ulricum, filiamque Alasyam. Obiit An. 991. Aliam Otho habuisse conjugem fertur de familia Marchionum Austriæ, ex qua plurimæ filiæ. *Sigeber. Compil. Chron. Avent. lib. 5. Peucer.* Cuspinianus nominat plures liberos Othonis præter jam relatos; scilicet Fridericum, Uldaricum, Utilhaidem, quam secundæ conjugi adscribit; item Sophiam, Adalhaidem, Juditham, & Mechtildim; ex qua verò matre prodierint incertum.

BASILIUS II, Romani filius, Orientis Imperium unà cum fratre Constantino post Zemiscem est assecutus A. 975. Imperator avaritiæ sordidissimæ, soli ditando fisco intentus; in bellis alioquin non ignavus. Apuliam, & Calabriam ab Othone Græcis ereptas recuperavit; Bulgaros repetitis cladibus coercuit. Obiit subito morbo, A. æt 70, imp. 50. *Cedren. Manaf. Zonar.*

XCII.

XCII.



OTHO III, Othonis II e Theophania filius, cognominatus *Mirabilia Mundi*, *& Puer*, quòd puerulus Imperium ſuſceperit, Patrem excepit, a quo jam fuerat electus, A. 983. Prudens, benevolus, armis validus. Henricum Bavarum in Germania, Lotharium in Gallia, Creſcentium Conſulem Romæ Imperium affectantes repreſſit. Et quidem Lotharius ſponte ferè ſtatim ceſſit; Henricus ſæpiùs victus, profligatiſque ab Othone Bohemis quos concitaverat, in Francofurtenſibus Comitiis veniam petiit. Contra Creſcentium verò expeditionem Otho ſuſcepit A. 996; auditoque Romanum Pontificem obiiſſe, in ejus locum Brunonem conſanguineum ſuum ſubſtituit, qui Gregorius V eſt appellatus, & Imperatorem coronavit. Urbem ingredienti obviam factus Creſcentius veniam petiit, & obtinuit; ſed Imperatore in Germaniam reverſo, novos tumultus excitavit anno poſt, & Pontificem dejecit, intruſo Joanne Epiſcopo Placentino. Properavit rurſum igitur Otho e Germania, captumque tyrannum poſt varia tormentorum ac ludibriorum genera ſuſpendi juſſit A. 998. Tertiam quoque ſuſcepit expeditionem in Italiam A. 1001, ſed Urbem ingreſſus, cum nova quædam inſtituere meditaretur, facta Romanorum conſpiratione, obſeſſus eſt. Inde verò Hugonis Tuſciæ Marchionis artibus ereptus, dum in Germaniam revertitur, extinctus eſt venenatis chirothecis ad Paternum in Italia, artibus viduæ Creſcentii, qua fuerat olim uſus, A. imp. a patris morte circiter 10, ætatis juxta

ple-

plerosque 30, juxta *Hepidan.* 23, ait enim ipsum successisse Patri cum annum ageret quartum ætatis. *Ot. Frif. lib.* 6, *cap.* 26. *Chron. Herveld. Sigeb. Sigon. lib.* 7.

Maria, Arragoniæ ac Navarræ Regis filia (Sanctii Majoris, ut puto, juxta computum *Lazii lib.* 10, *in Reg. Arrag.*) Othonis uxor. Fœmina impudica, quæ juvenem muliebri veste indutum secum semper ducebat. Adulterii convicta tandem a marito, ejusdem jussu ad Mutinam urbem cremata est, nullis ex ipsa natis liberis. *Munster. Cuspin.*

XCIII.





HENRICUS II, Henrici Ezelonis Bavariæ Ducis filius, Othonis I ex fratre Henrico Rixoso nepos, in Germanis Comitiis, quibus tamen vim adhibuisse fertur, electus est Imperator A. 1002; coronam verò auream accepit A. 1014. Princeps multis virtutibus clarus; religionis præcipuè studio, ac pietatis operibus insignis Sanctorum fastis meruit adscribi. Ab Arnulpho Episcopo Mediolanensi vocatus in Italiam adversus Arduinum Regem, Othonem legatum suum cum exercitu misit, qui ab eodem Arduino in Campo Fabricæ ad Alpes disjectus est A. 1003, seu 1004, juxta *Calchi libr.* 6, qui huic etiam expeditioni eundem Henricum interfuisse scribit, quarundam archetyparum tabularum auctoritate fultus. Anno sequenti reversus, nihilò feliciori marte cum Arduino conflixit, inter Veronam enim & Tridentum est victus & fusus. Sed, rebellantibus pluribus ex Italorum

Prin-

Principibus, patuit Henrico Italia, qui Papia capta in Regem est salutatus. Eadem verò die, subeunte Italos pœnitentia, facta est in eundem conspiratio; ipseque obsessus, dum per muros evadit vitæ suæ fuga consulens, luxaturam fœmoris passus est, unde Claudi cognomen reportavit. Sævissima inde cædes facta, & incendium per urbem latè diffusum, Henricusque raptim in Germaniam est reversus; nec Italiam repetiit, nisi A. 1014, quo anno coronam accepit Imperii a Benedicto Pontifice, quem juverat contra Gregorium Antipapam. Sed vix Pontificis restitutione pro voto peracta, octavo post die Romanorum oborta seditione, magna Germanorum strages edita est ad Pontem Tiberis, ideoque rursum Henricus propere ab Italia discedere compulsus est. Quartam in Italiam expeditionem suscepit A. 1022, seu 1023, juxta citatum *Calchi*, juxta *Hepidan.* verò 1028 (adnotandum Auctoris hujus computum quinque aut sex circiter annis ferè semper a Chronologia cæterorum distare); ipsaque Saracenos, qui per Apuliam & Calabriam grassabantur, Troja expulit, & compescuit. Præter Italicum, bella gessit cum Polonis, cum Balduino Flandriæ Comite, cum Bohemis, & Moravis, quos omnes vicit: Hungaros quoque ad Christi fidem perduxit. Obiit Groningæ, ex calculi doloribus, A. ætat. 52, imp. ab electione sua 22. *Ot. Frisf. lib. 6, c. 27. Dithm. Sigeb. Leo. Ost. Sigon. libr. 8. Avent. libr. 5.* Non prætermittendum, ipsum ab uno aut altero Scriptorum inter Sanctos Benedictinos recenseri, dicique, imperii rebus compositis, in Monasterium se recepisse; sed hoc contra omnium ferè Historicorum traditionem stat, confutaturque præsertim per *Chronicum Belgicum*, in quo legitur quòd, cum Monasticum habitum sumere vellet apud S. Vitonem, Richardus Virdunensis Abbas eidem injunxerit, ne imperium dimitteret quamdiu viveret.

Cunigunda, Sigefridi Palatini ad Rhenum filia, Henrici uxor. Fœmina sanctitate vitæ conspicua, *Mater Pauperum* dicta ab *Ursperg.* Castitatem perpetuo coluit: In suspicionem tamen adulterii marito venit; sed ignis

experimento virginitatem testata est. Ab eodem marito propinquis restituta est illibata. Obiit juxta plerosque A. 1033, juxta unum aut alterum, 1038. *Chron. Herveld. Leo Ost. libr. 2, cap. 46. Compil. Chron. Marian. Scotus. Avent. libr. 5.*

ARDUINUS, quem alii Harthuinum, alii Harduvigum vocant, Dodonis Eporrhediæ Marchionis filius, in Ticinensibus Comitiis statim ab Othonis morte Italiæ Rex est appellatus, A. 1022. Cumque ab Arnulpho Episcopo Henricus ex Alemannia, ut jam dictum, vocatus fuisset, Imperator etiam est renunciatus, annuente Pontifice, a Longobardis Proceribus, qui ad hoc in Laudensem Civitatem Concilium coegerant. Exercitum Henrici bis fudit, ut diximus; & licèt Italorum fraudibus ad Italiæ coronam accipiendam idem Henricus pervenerit, ipso tamen in Germaniam reverso, Regno suo se restituit, quod sapientissimè administravit. A. tandem 1015, sponte insignibus Regni depositis, in Monasterium Fructuariense D. Benigni se recepit, ubi privatè vixit, obiitque A. circiter 1018. *Dithm. Sigon. lib.* 8, qui tamen sub A. 1014 decipitur, tertiam Henrici expeditionem cum secunda confundens. *Calchi lib. 6. Alciat.* & alii, quos non referimus, cum *Dithm.* unus sufficiat, qui rerum veritatem aliis aperuit. Cautè igitur legendi sunt plerique ex Scriptoribus in vita Henrici, ubi de bellis ejusdem cum Arduino loquuntur, ut *Peucer. Naucler. Vol. 2. Gen. 34, Genebr. lib. 4. Blond. Dec. 2, lib. 3. Sturc.* & alii plures, qui non modò triplicem Henrici ipsius adventum in Italiam confundunt, sed vel ne mentionem quidem faciunt, vel ita, ut victoris modo Arduinum præliis pluribus profligaverit, & occiderit; quæ omnia apertissimè falsa docebit *Dithm.* supracitatus, qui, etiam si alii quos attulimus deessent, abunde pro omnibus sufficeret videtur.

XCIV.

X C I V.



CONRADUS II, *Salicus* cognomento apud *Vvipponem*, *& Compil. Chron.* ab Henrico moriente Principibus commendatus, suffectus est eidem A. 1024, postque varia dissidia ab omnibus Electoribus comprobatus. De hujus genere variè scribunt auctores; omnes ferè tamen Francum dicunt. A. 1026 ingressus est Italiam, cujus coronam accepit; annoque sequenti imperiali quoque donatus est Romæ a Joanne XX. Ex Italia reversus, supplices ad se habuit Ernestum Alemanniæ Ducem, & Conradum patruelem suum, qui adversùs eundem seditionem excitaverant, ipsosque exilio punivit; inde tertio post anno Ernestum eundem in exilio nova molitum fudit, & occidit. Hungaros vicit, Rege ipsorum Stephano, cum quo & pacem fecit A. 1031. Burgundiam acquisivit A. 1032, traditam sibi a Rudolpho Rege; ipsamque validè tutatus est adversùs Osonem, sive Odonem Rudolphi nepotem, qui eandem armatus repetebat, Misconem Vandalorum Ducem repressit. In Italiam rursum A. 1037 descendit, Mediolani suburbia subvertit, pluresque in vincula conjecit ex iis, qui seditionem excitaverant adversùs Germanos. Obiit Princeps domi forisque bonus Trajecti subito fato, A. imp. 15. *Vvippo. Sigeb. Marian. Scot. Herm. Contract. Peucer.*

Gisela, Lotharii Franciæ Regis filia, Conradi uxor. Nupsit juxta *Peuc.* primò Brunoni Saxoniæ Duci, cui genuit Lutolphum; secundò Ernesto Saxoniæ pariter Duci, cui peperit Ernestum, & Hermannum. Pietatis &

honestatis laude celebratur: Genuit autem Conrado Henricum, qui postea Imperator factus est. *Ot. Frif. libr. 6, cap. 28. Herm. Contract. Vuippo* ipsam dicit filiam Hermanni Ducis Alemanniæ. Obiit A. 1043.

CONSTANTINUS VIII, Basilii frater, ejusdem in Imperio consors, post fratrem solus imperare cœpit A. 1025. Homo pravis studiis deditus Imperium per crudelitatem, prodigalitatem, ac libidinem summam rexit. Obiit A. ęt. 68, imp. post fratrem 3 circiter. *Cedren. Manas. Zonar. in Const.*

Helena, viri cujusdam patritii ac potentissimi filia, Constantini uxor. Genuit Zoen, Eudociam, & Theodoram. *Zonar. ibid.*

ROMANUS II, *Argirus* sive *Argiropulus* a prodigalitate juxta quosdam cognominatus, Constantino successit A. 1028. Imperator literis eruditus, Grçcaque doctrina instructus, nec legum ignarus. Primis Imperii temporibus non malum Principem egit: Sed, cum a Saracenis magna clade victus fuisset, factus est repente avarissimus, & crudelis. A conjuge, quam immodicè amabat, veneno sublatus est juxta *Zonaram*; juxta alios a Michaele Paphlagone strangulatus ejusdem uxoris opera, A. imp. 6. *Auct. supracit.*

Zoes, Constantini VIII filia, fœmina immodicę lascivię ac procacitatis, Romani uxor. Ipso mortuo Michaeli Paphlagoni nupsit, sub quo ab ejusdem fratre Joanne in ordinem redacta est. Successorem inde Michaeli Michaelem alterum Calaphatem accersivit, a quo pariter de Imperii communione statim est depulsa. Per seditionem autem iterum admota gubernaculis, excęcato Calaphate, in Imperatorem & Virum sibi elegit Constantinum Monomachum, cum quo multis annis vixit. Obiit verò ante ipsum A. ętat. 70. *Ibidem.*

MI-

MICHAEL IV, e Paphlagonia, Romano successit A. 1034, sumpta in uxorem Zoe, a qua fuerat, ut diximus, ad Imperium invitatus. Valetudine infirmus imperium ferè Joanni fratri suo administrandum tradidit, orationibus ipse, agendæque pænitentiæ sedulò studens. Fuit modestus, misericors, liberalis, multisque aliis virtutibus exornatus; sed ejusdem famæ obsuere non leviter ipsius fratres, homines improbi, & rapaces. Post annos Imperii 7, in Monasterium se recepit, ubi paulò post obiit. *Cedren. Manass. Zonar. in Mich.*

X C V.



HENRICUS III, a crinibus nigris *Niger* appellatus, Conradi II ac Giselæ filius, paternam ditionem suscepit A. 1039, & coronatus est a Pontifice Clemente II, A. 1046. Virtutibus tam civilibus, quàm bellicis claruit. Hungaros non semel vicit. In Italiam profectus est A. 1046, & contentiones Romæ exortas ex schismate pro electione Pontificis sedavit, ad Pontificatum evecto Clemente II. A Sclavis clade ingenti affectus est; cui accessere tunc temporis, fames, egestas, penuria, aliaque mala per Germaniam. Ideo magno animi angore correptus, obiit Burdfeldiæ in Saxonia, A. æt. 39, imper. 17 cum dimidio. Quidam addunt, ipsum fragmento panis suffocatum fuisse. *Herm. Contract. Ot. Fris. lib. 6, cap. 32, & 33. Sigeb. Marian. Scot. Peucer.*

Cunigunda, *Vvip.* Chunelinda, *Hepid.* Gnut, Canuti sive Cnitonis Anglorum regis filia, Henrici prima uxor,

A. 1036. Ab aliis fertur biennio post repudiata fuisse, ab aliis peste consumpta. *Ot. Fris. lib. 6, cap. 31. Herm. Contract. Peucer.*

Agnes, Gulielmi Aquitanniæ Ducis, juxta *Vvolfg. Laz. in Gen. Ducum Bav.* soror, juxta alios, filia, secunda uxor. Genuit Henricum, Conradum, Juditham, Mathildem, & Ittam. Post mariti fata cum filio Henrico Imperium administravit; sed a regimine dejecta, in Italiam se recepit, ad Monasterium Fructuariense; obiitque A. 1077. *Ot. Fris. lib. 6, cap. 32. Bertold. Const. Alb. Stad. Peucer.*

MICHAEL V, *Calaphates* cognominatus a patre navium picatore, Paphlagonis ex sorore nepos, a Zoe ad Orientis Imperium evectus est, A. 1041. Homo ad quævis facinora natura proclivis, animi subdoli, & ingrati. Rerum potitus, Zoen statim exauctoravit, unàque & Joannem Paphlagonis fratrem. Ideo, commotis omnibus, imperio atque oculis est privatus, cum regnasset menses 5. *Cedren. Manas. Zonar. in Mich.*

CONSTANTINUS IX, *Monomachus* dictus, a Zoe Imperio restituta ad conjugium suum & Imperium invitatus, rerum summa potitus est eodem anno 1042. Multifariam statim exagitatus est, Imperium ambientibus, hinc Georgio Maniace Duce fortissimo in Italia, illinc Theophilo Erotico in insula Cypro, inde Leone Tornicio in Iberia. Præter hos & Hussi Imperium excursionibus, & cædibus infestaverunt. Singulos autem tum æmulos, tum hostes profligavit pari felicitate, ac virtute. In Oriente verò iniquum martem expertus est, plurimas Imperii provincias Turcarum victoriis cedere coactus. Obiit ex pleuritide, A. imper. 13. *Cedren. Manas. Zonar. in Const.*

THEO-

THEODORA, Zoes soror, a Senatu Populoque Constantinopolitano post Constantinum Augusta dicta est A. 1054. Ejus temporibus alta quies. Imperii consortem elegit sibi Michaelem VI; nec multò post obiit ex intestinorum dolore. A. imp. 2. *Auctores cit. Glyc. P. 4.*

MICHAEL VI, cognomento *Stratioticus*, seu *Stratonicus*, a Theodora ad Imperium assumptus, post eandem imperare cœpit solus, A. 1056. Cum munificentiæ parum erga milites exhiberet, summosque viros contumeliis afficeret, acclamatus est in Imperatorem ab exercitu Isaacius Comnenus. Contra hunc misit copias Michael, quæ ab Isaacio fusæ sunt; quare victum se, atque exosum videns, Imperio cessit, A. ejusdem 1, ætatis prorsus decrepitæ. *Cedren. Manas. Zonar. in Mich.*

X C V I.



HENRICUS IV, Henrici III ex Agnete filius, quinquennis patri successit sub matris tutela, A. 1056. Princeps ingenio ferox, superbus, & violentus; *inobediens sanctæ Sedi, & qui omnia spiritualia vendidit*, juxta *Dodech.* Ab *Ursperg.* vocatur *Malus* cognomento. Toto ferme Imperii sui tempore bella gessit. Statim contra Dedonem Saxoniæ Marchionem, inde contra Rudolphum, Ermannum, & Ecbertum ad Imperium evectos, qui omnes vario eventu sublati sunt, ut suo loco. Interim movit etiam in Italiam contra Grego-

rium VII. Pontificem, a quo anathemate percussus est; primusque dicitur Imperator ab *Othone Frisingensi*, qui fuerit excommunicatus, quam tamen opinionem *Urspergensis* confutat. Per multos annos Urbem tentavit, Pseudo-Pontificem Guibertum, seu Vighertum Ravennatem Episcopum intrusurus, quod tandem etiam peregit A. 1084, ab eodemque coronam accepit, *non gloriæ, sed confusionis*, ut scribit *Bertoldus Constantiensis*. Legitimo autem Pontifici suppetias tunc ferebat Robertus Normannus e Calabria, qui Henricum repulit, Gregoriumque restituit. Adversus Imperatorem inde ipsius etiam filius Conradus conspiravit A. 1093, ipsique Italiæ regnum arripuit, detrectato pariter obsequio; sed nono post anno a patre jam abdicatus, & rebellis declaratus repente obiit. Henricus inde filiorum alter A. 1105 a Germaniæ proceribus unanimi consensu acclamatus est Imperator. Quocirca pater coactus est Imperii insignia filio tradere. Miserrimam deinceps egit vitam; in idque incidit paupertatis, ut victum sæpius emendicaverit a Spirensi Episcopo. Obiit confectus curis Leodii, A. ætat. 56, aut 58 imper. a morte patris 50. *Anon. in vit. Henr. IV. Bertold. Const. Ot. Frif. libr.* 6, *cap.* 34, *& lib.* 7, *usque ad cap.* 15. *Sigeb. Marian. Scot. Dodecb. Ursperg. Sigon. lib.* 9.

Bertha, Othonis in Italia Marchionis filia, Henrici prima uxor. Genuit Conradum, Henricum, Agnetem, & Bertham juxta *Peucer. Christianus Matthiæ* addit & Sophiam. *Ot. Frif. Chron. Herveld.* sub A. 1066. *Ursperg.* sub A. 1067. Obiit A. 1087. *Dodecb.*

Praxedis, Ruthenorum Regis filia, secunda uxor; ex hac natine sint liberi non liquet. *Naucl. Vol.* 2, *Gen.* 37. *sub A.* 1089. *Peucer. in Henr.*

Non est negligendum a *Dodechino* recenseri & Adelheidam Henrici uxorem, quam cœpit ipse odio habere, & in carcerem trusit, concesso omnibus, ut vis eidem inferretur. Sitne autem hæc tertia uxor, an eadem, mutato nomine, cum altera ex supradictis, prorsus ignoramus, cum apud cæteros Historicos nulla de hac mentio fiat.

Rudol-

Rodulphus Sveviæ Dux, appellatus est Moguntiæ Cæsar, & coronatus ibidem contra Henricum A. 1077, adnitentibus præcipuè Saxonibus, & consentiente Gregorio VII. Pontifice. Cum Imperatore sæpius conflixit: Anno autem 1080, gravi accepto vulnere, dexteraque etiam amissa in pugna ad Elystrum fluvium mortuus est: Princeps prudentiæ, ac senectutis venerabilis, fortitudine quoque, ac militari peritia laudandus. Imperavit Annos 3. *Anon. in vi. Henr. IV. Bertold. Constant. Sigeb. Marian. Scot. lib. 3, & 6.*

Hermannus e Lotharingia, Dux Luzelburgensis, a Saxonibus aliisque contra Henricum Imperator electus est Bambergæ post Rodulphum A 1081. Hic Henricum egregie fudit juxta Verzeburg A. 1086; sed mox ab eodem repulsus, a suisque desertus in Saxoniam se recepit, ubi sequenti anno in oppugnatione cujusdam urbis oppressus est, seu lapide a muris per fœminam quandam projecto, sive collabentis ruina portæ, A. imper. 6. *Auctor. cit. Dodech.* Regem Alliorum dictum hunc fuisse refert *Christ. Matth. in vit. Henr. IV, cap.* 2, ex eo quòd, cum Islebiæ resideret, tunc temporis magnus ibidem fuerit Allii proventus.

Ecbertus, Saxoniæ Marchio, Hermanno mortuo, Imperatorem se dixit adversùs Henricum, A. 1087. Tertio post anno, cum ad Sylvam prope Numburgum divertisset, a Cæsarianis Equitibus, quos molitor quidam admonuerat, obsessus, dum fortiter pugnat, occisus est. *Auctor. cit.*

ISAACIUS COMNENUS, Manuelis Protospatarii filius, a militibus factus est Imperator contra Michaelem, A. 1057. Princeps mente acutus, manu strenuus, suis licèt verbis infestus, re tamen benevolus; continentiæ autem miræ etiam cum uxore, & effusi in Literatos studii, quamvis non esset ipse literis eruditus. Monachorum redditus fisco addidisse fertur, assignato iisdem dimenso, quod religiosæ vitæ sufficeret. Expeditionem suscepit

in Hungaros, & Scythas; sed brevi res composuit firmata pace. Imperium deposuit A. 3, & monasticam vitam amplexus est. *Manas. Zonar. Scylit.*

Æcaterina, e Regia Bulgarorum stirpe, Isaacii uxor. Genuit Mariam, & Manuelem. Monasterium ipsa quoque subiit, ubi nomen Helenæ sumpsit. *Scylit. Glyc. P. 4.*

CONSTANTINUS X, *Ducas* dictus, ab Isaacio accepit Imperium, ejusdemque affinibus, ita suadente viri probitate, prælatus est A. 1060. Imperator optimus, Literis addictus; solebatque dicere, malle se Literarum gloria, quàm Imperio cognosci. Foris parum felix fuit, non levibus a Turcis damnis affectus. Obiit ex diutino morbo, A. æt. 60, imp. 8. *Scyl. Manas. Zonar.*

Eudocia, Constantini uxor. Genuit Constantinum, Andronicum, Michaelem, Annam, Theodoram, & Zoen. *Manasses* septem numerat ejusdem filios. Prædictos masculos pater Cæsares declaravit, uxoremque rogavit ut vidua permaneret. Ipsa verò post conjugis mortem oblita Sacramenti, septem tantùm elapsis mensibus, Romanum Diogenem sibi jugavit, & ad Imperium evexit. Tandem Michaele VII imperante in exilium missa est. *Scyl. Manas. Glyc.*

ROMANUS III, *Diogenes* dictus, vir e Cappadocia, familia & fortitudine clarus, Eudociæ maritus factus, Orientis Imperium est assecutus A. 1068. Cum Turcis bis pugnavit feliciter in Asia; tertio verò commisso prælio, captus est fraude Andronici, Constantini Ducæ ex fratre Joanne nepotis, qui Romano invidebat. Ab Azano autem Turcarum Sultano, ad quem est ductus, honorificè habitus est, nec multò post cum honore pariter dimissus. Dum ex Asia reverti properat, excæcatus est jussu filiorum Constantini; tumefactoque capite propter vulnera non curata, miserrimè obiit in insula Prota, A. imp. 4. *Scyl. Manas. Zonar.*

Dum privatus esset uxorem habuit, cujus ignoratur no-

nomen; constat tantùm Bulgaram fuisse, filiumque procreasse. *Scylit.*

MICHAEL VII, Constantini Ducæ filius, *Parapinaceus* appellatus, quòd sub ipso crudelissima sæviente fame, *modius numismate venderetur, sed pinario minus, qui medimni quadrans est*, ut ait *Scylit.* Romanum excepit A. 1071. Orationibus addictus & studiis, jambis præcipuè componendis; cætera verò ignavus, imperii habenas Nicephoro cuidam Spadoni reliquit. Cum Turcæ Imperium invaderent, ipseque bello gerendo ineptus judicaretur, depositus est, & in Cœnobium inclusus, A. imp. circiter 6. Fertur inde Ephesi creatus Episcopus fuisse. *Scyli. Manass. Zonar. Glyc.*

Maria ex Alania, Michaelis uxor, cui genuit Constantinum a patre Imperatorem dictum. Nupsit postea Nicephoro Botaniati, post cujus abdicationem monacha facta est. *Scyl. Zonar. in Mich. & Niceph.*

NICEPHORUS III, *Botaniates* seu *Botaneates*, ut est in *Chron. Græca*, perperam legentibus recentioribus *Botoniates*, a Phoca oriundus, Michaeli substitutus est A. 1077. Si *Manassi* credimus, fuit Princeps voluptatibus addictus; si verò *Scylitzæ*, *frugilitati, ac simplicitati assuetus, & liberalissimus*. A Comnenorum factione dejectus est A. imp. 3. *Zonar. Glyc.*

Berdena, Nicephori privati uxor. *Scylit.*

Constantinus, Constantini Ducæ filius, Michaelis Parapinacei frater, cum a Nicephoro præfecturam exercitus accepisset contra Turcas, salutatus est ab eodem Imperator Chrysopoli: Sed a suis proditus, quos Imperator muneribus corruperat, relegatus est jussu Imperatoris, & Monachus factus. *Zonar. in Niceph. Scylit.*

Nicephorus Bryennius, Dyrrachii Dux, audito Michaelem depositum, & Imperatorem factum Nicephorum, arreptis Imperii insignibus, tyrannidem auspicatus est, fratremque suum Joannem Byzantium misit cum

valido

valido exercitu, ut urbem occuparet. Post varios eventus, in tyrannide interim persistens, repudiatisque superbè tribus Nicephori Imperatoris legationibus, quibus dignitatem Cæsaris pollicebatur si ab incepto destitisset, victus est, captus, & excæcatus. *Zon. in Mich. Niceph. &c. Scylit.*

Nicephorus Basilacius, Bryennii successor, tyrannidem ipsius pariter cœpit exercere. Alexius Comnenus ab Imperatore missus eundem vicit Thessalonicæ, & oculis privavit. *Zonar. in Niceph. Scyl. Glyc. P.* 4.

ALEXIUS Comnenus, ab Isaacio Imperatore genus trahens, Nicephoro Botaniati successit, A. 1080. Princeps luxuriæ deditus, & qui statim ut pecuniam colligeret, cum esset bellis implicitus, multa edidit rapacitatis experimenta, locupletioribus opes eripiendo, & novas exactiones imponendo. Cum Roberto Guiscardo bellum gessit usque ad A. 1086, sæpiusque fusus est, & profligatus. Temporis postea processu ad pacis artes conversus multa correxit, pluraque pietatis, & munificentiæ opera exhibuit. Cum Turcis parum prosperè pugnavit per Duces suos; sed profectus ipse ad bellum, eosdem egregiè vicit. Obiit A. ætat. 70, imp. 38. *Glyc.* & ex Latinis *Naucl. Vol.* 2. *Gen.* 37, *Strada*, *& alii.*

Irene, Constantini Ducæ ex fratre Joanne neptis, Alexii uxor. Genuit Joannem, Andronicum, Isaacium, Annam, Mariam, Theodoram, & Eudociam. *Zonar. Nicet.*

XCVII.

XCVII.



HENRICUS V, Henrici IV ex Bertha filius, contra patrem jam ad Imperium assumptus, successit eidem A. 1106. Bellum gessit statim cum Polonis, & victus est; alterum quoque A. 1115 cum Saxonibus, a quibus pariter penè est attritus, Duce ipsorum Lothario. Interim paternæ hæres violentiæ Romam cum exercitu venit A. 1111, & Pontificem Paschalem II deposuit, minisque ac armorum vi ampla ab eodem privilegia reportavit super investituras, & Episcoporum electionem. Hæc omnia verò, reverso in Germaniam Henrico, revocavit Pontifex in Concilio Lateranensi. Irritatus ideo Imperator Romam secundò petiit; cumque interim mortuis Paschali, ac Gelasio Callixtus suffectus fuisset, qui Henricum anathemate percussit, Burdinum quendam Romanæ sedi violenter imposuit, quem alii vocant Mauritium, Episcopum olim Braccarensem. Sed fortiter urgente Callixto pro Ecclesiæ jure, cessit Imperator in conventu Vormatiensi A. 1122 quæcunque per vim expresserat Paschali; sicque Apostolicæ Sedi reconciliatus est. Obiit Trajecti A. imp. 19. *Ot. Fris. lib. 7, cap. 13. Sigeb. & ejus contin. Dodecb. Petr. Ost. lib. 4. Ursperg.*

Mechtildis, Henrici Angliæ Regis filia, Henrici uxor. Ex hac nata fertur una tantùm filia, Christina nomine. *Ot. Fris. lib. 7, cap. 15, & 21. Contin. Sigeb. Crist. Matth. in Henr. cap. 2.*

JOAN-

JOANNES II, Comnenus, qui & Calojoannes dicitur, patri Alexio successit A. 1118. Princeps moribus probus, munificentia clarus. Scythas, & Persas præliis pluribus, & ingentibus cladibus attrivit, non tam armorum virtute, quàm pietatis merito, ac precationum, quas inter pugnandum, expansis in crucis modum manibus, Deo semper offerre solitus fuisse perhibetur. Dum aprum inter venandum insequitur, se ipsum in læva venenata sagitta percussit, ex quo vulnere obiit in Cilicia, A. æt. 45. imp. 25. *Nicet.*

Irene, Ladislai Hungariæ Regis filia, Joannis uxor. Genuit Alexium, Andronicum, Isaacium, & Manuelem. *Ibidem*. Referuntur quoque ab aliquibus tres ejusdem filiæ.

XCVIII.



LOTHARIUS II, qui & Luderus, Gebehardi comitis Svepplenburgensis in Saxonia ex Heiduvige Burgravia Norimbergensi filius, ab Electoribus Moguntiæ suffectus est Henrico A. 1125, ad Imperium aspirantibus etiam Conrado, & Friderico Henrici ejusdem ex sorore nepotibus, & Leopoldo quodam Marchione. Hos tamen feliciter repressit, cumque ipsis pacem iniit, conciliante D. Bernardo. Princeps religiosus, justus, literis addictissimus; ferturque legum libros in Apulia invenisse A. 1135, eorumdemque lecturam promovisse, opera præcipuè Irneri, seu Vverneri I. C. celeberrimi. Item ad

ad concitandos studiosorum animos Doctoratus & Magisterii gradus in Academias invexisse; primamque fuisse tradunt Bononiensem, in qua Legum libri legi cœperint. Bis in Italiam venit. Primò A. 1133 contra Rogerium Siciliæ Regem, qui expulso Innocentio II Pontifice, in ejus solio Petrum Leonis collocaverat; Et Pontificem quidem restituit, a quo imperialem coronam accepit. Secundò A. 1135 contra eundem Rogerium, quem adeo armis est insecutus, ut ex Italia fugere compulerit; simulque quidquid imperialis juris erat pacavit, & in obsequio firmavit. In reditu ab Italia obiit in Tridentina valle, in vili casa; alii dicunt Veronæ. *Dodech.* apud Castrum Boariorum, An. æt. 67, imp. 13. *Ot. Frif. libr. 7, cap. 17. Contin. Sigeb. Dodecb. Sigon. lib. 11. Petr. Ost. lib. 4. Ursperg. Cuspin. Bucolc.*

Rixa, aliis Rachisa, Richiza, & Rikenza, Henrici cognomento *Superbi*, seu *Pinguis* juxta alios, Comitis in Bavaria filia, Lotharii uxor. Genuit Lotharium, qui puer obiit, Heduvigim, & Gertrudim, *Albert. Stad. Peuc. in Loth.*

XCIX.



CONRADUS III, Sveviæ Dux, Henrici V Imp. ex sorore nepos, Moguntiæ Imperator est renunciatus, A. 1138. Princeps inter bonos numerandus; nam & prudentiæ, & clementiæ exempla præbuit; pluresque insuper Germaniæ civitates instauravit, & exornavit. Henricum Superbum Saxoniæ ac Bavariæ Ducem,

ejusque

ejusque fratrem Guelphum rebelles, ac tumultuantes repressit. Prodiere tunc temporis celebres illæ Guelphorum, Gibellinorumque factiones, a Guelpho indito nomine hostibus Imperatoris, ejusdem verò asseclis ab urbe Geblinga, in qua Conradi filius Henricus, qui pro patre contra Guelphum pugnabat, fuerat ablactatus, ut notat *Naucler. Vol.2, Gen.28.* Valido exercitu A. 1147 in Palæstinam transiit ex monitu D. Bernardi, quo etiam perrexerat Ludovicus VII Galliæ Rex; sed parum felici expeditione. Nam primò a Manuele Imper. Græco insidias, & damna Fæderati passi sunt; inde, cùm Damascum obsiderent, orto inter eosdem & veteranos Asiæ duces dissidio, ipse Conradus inde discessit, & in Germaniam suam rediit. Dum in Italiam descendere meditatur, præreptus est fato, diesque clausit Bambergæ, non sine veneni suspicione, per Medicos Italos a Rogerio Siciliæ Rege corruptos propinati, post A. imp. 14. *Ot. Fris. lib. 7, cap. 22, &c. & de gest. Frid. lib. 1. Anon. Fragm. Hist. Ot. de S. Blas. Contin. Sigeb. Dodech. Sigon. lib.* 11.

Gerturdis, Comitis Sultzbachii filia, Conradi uxor. Nati ex hac Henricus, a patre factus consors Imperii, qui obiit dum idem in Asia esset, & Fridericus. *Albert. Stad. Vvolf. Laz. lib 7, in gen. Com. de Sultzbac. Peucer.* Additur & filia Juditha a *Christ. Math. in Conr. cap.* 2.

MANUEL, sive Emmanuel, Joannis Comneni filius juxta *Nicetam*, quem sequitur *Egnatius*, juxta *Stradam* autem & *Sabellicum* humili loco natus, dictusque *Grifon*, seu *Triphon*, secundùm illos a patre moriente successor declaratus, secundum istos ab uxore Alexii vidua ad tantum fastigium evectus, Imperium obtinuit A. 1143. Dicitur facundus fuisse declamator, cæterà vitiosus, sed in ipsis vitiis inconstans, cum modò avaritiam, modò prodigalitatem exercuerit. Perfidiæ nota infamis fuit; nam Henricum Dandulum, aliosque Venetorum Legatos excæcavit; Conradi Imperatoris exercitum per Bosphorum in Asia trajicientem pluribus damnis affecit,

calcem

calcem præcipuè gypsumque farinæ immiscens ; Ludovicum Galliæ Regem ex Asia redeuntem navibus intercepit, qui mox a Roberto Siciliæ Rege armorum vi liberatus est. Alexandro III Pontifici ingentem pecuniæ vim exhibuisse fertur, ut sibi etiam Occidentis Imperium traderet, quod frustra tentavit. Anno imp. quasi 38 monasticam vitam subiit, nec multò post e vivis excessit, A. ætat. 60. *Nicet.* Ex Latinis autem *Egnat. Strada. Sabel. D.* 7, *lib.* 7. *Naucl. Vol.* 2, *Gen.* 38. *Plat. in Alexandro III. Chron. Germ. lib.* 18.

Bertha, Irene postea dicta, Gertrudis Conradi III uxoris soror, Manuelis uxor. (*Nicet. lib.* 2, ait tantùm ipsam fuisse ex Alemannia, de familia nobili) *Ot. Fris. lib.* 7, *cap.* 28. *Vvolfg. Laz. loc. sopracit.*

Nominatur & Maria, altera ejusdem uxor, filia Petebini, aliis Pictavini, Antiochiæ Satrapæ. *Nicet. libr.* 3. At *Contin. Sigeb. sub A.* 1181 hanc dicit Raimundi Antiochiæ Principis filiam. Alexii filii duo recensentur, Alexius, & Maria, filio Montisferrati Marchioni desponsata. *Nicet. lib.* 5 : Non satis autem constat ex qua prodierint.

C.



FRIDERICUS, *Oenobarbus* a rufa barba dictus, Italis *Barbarossa*, Conradi III nepos ex fratre Friderico Coclite Sveviæ Duce, matre Juditha Henrici Nigri Bavariæ Ducis filia, ab eodem Conrado moriente Principibus Imperii commendatus, electus est in Imperatorem apud Francofurtum A. 1152. Princeps animo acer, administrando aptissimus imperio, & princi-

palibus tum pacis, tum belli muneribus nulli sanè secundus; ab *Urspergensi* dictus *Omnium Triumphator*: Utique laudabilior, & gestarum rerum fama innocentior, si plus reverentiæ Romanæ Sedi adhibuisset. Plurimas in Italiam expeditiones suscepit, quarum numerum a nullo Historicorum singillatim satis adductum, & a variis variè traditum ad rei veritatem recensere conabimur, atque a singulorum auctoritate certa lege colligere. Prima igitur contigit A. 1154, ad Imperii coronam accipiendam, quam Romæ obtinuit exercitu stipatus. Sed Romani ægrè ferentes coronationem veluti per vim factam, & sine consensu ac præsentia Populi, arma sumpserunt; hinc atrox prælium inter Cæsarianos & Romanos, usque dum ancipitem pugnam nox diremit; statimque in Germaniam Imperator reversus est. Secunda A. 1158. Tertia A. 1161, ambæ adversus Mediolanenses, qui Germanorum jugum cum pati non possent, tumultuabantur. Hos Fridericus post acerrimas pugnas, & plures hinc inde clades, tandem compulit ad deditionem, & urbem ipsorum diruit A. 1162, cumque operi cives, & milites non sufficerent, advocavit in auxilium Cremonenses, & Papienses. Quarta A. 1166, in qua rebellantem Anconam obsedit, sed incassum, ut legitur apud *Nicet. lib.* 7, & cum interim Coloniensis Archiepiscopus Legatus ipsius a Romanis injuria fuisset affectus, Romam versus Imperator movit, quam vi cœpit magna edita civium strage, & Paschalem Pseudopontificem creatum adversus Alexandrum III in sede firmavit. Sævissima inde lues oborta, quæ innumeros ex Imperatoris exercitu consumpsit. Quinta, juxta nonnullos, A. 1170, adversus Mediolanenses, qui animos rursum erexerant, & civitatem cœperant reædificare; sed conjuratis adversus ipsum omnibus Lombardiæ civitatibus, fugere ab Italia compulsus est contra imperatoriam dignitatem, ut ait *Godefr. sub Anno* 1168, qui hanc expeditionem cum quarta commiscet. Sexta Anno 1174, adversus Alexandrum Pontificem, quem variis calamitatibus exagitatum Veneti honorificè susceperunt, & egregiè consilio operaque juverunt,

pace

pace inter ipsum tandem, & Imperatorem conciliata, cujus firmandæ gratia Venetias uterque petiit; conveneruntque A. 1177, juxta Scriptores omnes, *Urspergensem*, & unum aut alterum tantùm si excipias, qui hoc ponunt sub anno antecedenti. Non omittendum, duplicem a Sigonio Pontificis adventum Venetias referri, & a Sigeberti Continuatore tradi, Pontificem, & Imperatorem concordatos fuisse *in Civitate Venetiæ*, *in domo Patriarchæ ipsius civitatis*. Scribit quoque *Persona*, Generale tunc Concilium Venetiis habitum, Venetosque multis etiam annis antea Alexandrum cum Friderico conciliare studuisse, missis Legatis ad Imperatorem apud Parmam. Ponitur & septima Friderici in Italiam expeditio a *Godefr. Anno* 1184; videturque ipsam attingere etiam *Dodechinus*. In hac dicitur Cremam reædificasse. Implicito in Italia Imperatore, defecerat Henricus Leo Bavariæ ac Saxoniæ Dux, quem ipse reversus sæpius fudit, e Saxonia expulit, & tandem a nullo adjutum ad misericordiam exorandam adegit. Expeditionem suscepit in Palæstinam A. 1189, cum Philippo Francorum, & Henrico Anglorum Regibus; ibique multum profecit adversùs Turcas, & Saracenos; sed in victoriarum cursu occubuit, demersus apud Tarsum in amne *Serra* nomine, alii dicunt *Cydno*, *Alb. Stad.* vocat *Saleph. Fragm. Hist. in aqua*, ait, *quæ vocatur Ferrum in Armenia*, cum in flumen se projecisset æstus refrigerandi gratia. Alii non demersum scribunt, sed inde malè affectum non multo post obiisse A. ætat. 70, imper. circiter 38. *Ot. Frisi. Radev. & ejus Contin. Godefr. Contin. Sigebér. Ot. de S. Blas. capit. 5, &c. Fragm. Hist. Alb. Stad. Dodech. Sigon. lib. 12, &c. usque ad 15. Ursperg. Sturc. capit. 49.*

Adelheida, sive Adila, Diepoldi seu Theobaldi Marchionis de Vohiburg filia, Friderici prima uxor. Hanc ipse dimisit, vel quòd sibi esset consanguinea, vel juxta alios, quòd adulterii fama laboraret. *Ot. de S. Blas. cap. 10. Avent. lib. 6.*

Beatrix, quam alii vocant Agnetam, Reginaldi Mati-

 sco-

sconensis Ducis in Burgundia filia, amplissima dote dives, Burgundiam enim ipsi ac Provinciam detulit, secunda uxor. Genuit Henricum, Fridericum, Othonem, Conradum, Philippum, Beatricem, & Sophiam. *Ot. loc. cit. & cap. 27. Avent. lib. 6. Christ. Matth. in Frid. cap. 2. Plat. in Alex. III. Cuspin.*

ALEXIUS II, Manuelis filius, successit eidem An. 1180, cum annum ageret duodecimum ætatis. Ipsi idcirco in tutorem Andronicus datus est, qui prava percitus regnandi libidine, Imperatoris primò matrem suffocavit, inde ipsum quoque nervo arcus per noctem a Sicariis strangulari curavit, caputque sacco involutum in mare projici. Obiit Alexius A. ætat. 15, imper. 3. *Nicet. in Alex. Chron. Græca* refert ipsum imperasse tantùm menses 6.

Agnes, sive Anna, Ludovici Francorum Regis filia, Alexii uxor. *Nicet. in Andron. Contin. Sigeb.* Addit *Godefridus* ipsam in uxorem postea sumptam ab Andronico.

ANDRONICUS, Comnenus, Manuelis Imperatoris patruelis, Alexio usurpatum Imperium administrare cœpit solus A. 1183. Nicæam, & Prusiam in Asia expugnavit, ubi immanissima sævitia debacchatus est in cives. Crudelitatem quoque Constantinopoli supra modum exercuit adversùs seditiosos, eorumque cognatos, promulgato quodam miræ feritatis edicto. Canem validissimum, qui & cum Leonibus pugnabat, & armatum hominem prosternebat, in cubili suo semper habuit pro excubiis. Rapto autem Imperio non diu contigit ipsi frui; acclamato enim Augusto Isaacio Angelo, comprehensus ipse est a populo, & post varia tormentorum & ignominiarum genera inter duas columnas pendulus relictus est, donec animam efflarit. Alii tradunt membratim discerptum fuisse. Imperavit A. 2. *Nicet. in Andr. Peucer.*

ISAACIUS II, Angelus, post Andronicum Imperio potitus est A. 1185. Princeps sumptuosissimus in victu & vestitu; in templa resque sacras nonnunquam impius & avarus, nonnunquam in eadem templa & monasteria liberalis. Inde factum, ut alii Scriptorum pium justumque Principem ipsum dicant; alii avarum, luxui deditum, & ignavum. Siculos vicit apud Thessalonicam, captis etiam eorundem Ducibus Richardo, & Balduino. Adversus Walachos infeliciter movit, sæpius victus. Exosior ex rapacitate in urbe factus, a fratre suo Alexio, quem olim de Turcarum manibus magna vi auri redemerat, Imperio & oculis privatus est, atque in carcerem conjectus, ex quo postea, ut suo loco dicemus, ereptus fuit ab Alexio filio. Depositus est A. æt. 40, imp. 10. (*Chron. Græca* habet 8.) *Nicet. in Isa. Ang.*

Prima ejus uxor fuit e Græcia, nec constat de ipsius nomine. Pro secundis nuptiis ambivit Mariam, aliis Margaretam, Belæ Hungariæ Regis filiam. Ex priore suscepit Alexium, & filias duas. *Nicet. ibid. libr. 3. Georg. Acrop. capit.* 8.

C I.





HENRICUS VI, *Asper* cognomento propter asperrima tormenta quibus Siculos excruciavit, Friderici filius ex Beatrice, Patri successit An. 1190, & sequenti anno coronatus est Romæ a Cælestino III Pontifice. Princeps facundus, sed libidini valdè deditus, & crudelis. Accepta Imperii corona, in Siciliam movit uxorio nomine, mortuo sine legitimis liberis Guilielmo Rege, cum tamen jam a Regni proceribus electus fuisset Tancredus ejusdem Guilielmi filius nothus, quem regnare Pontifex quoque Cælestinus ægrè ferebat. Henricus binis in Italiam expeditionibus, quarum una A. 1191, altera A. 1193 contigit, tota Campania, Apulia, & Sicilia potitus est. Sybillam, seu Sibiliam Tancredi jam vita functi viduam uxorem cum tota familia cepit, & in Alsatiæ monasterio clausit. Filium item ejus in Rhætiam perductum oculis privari jussit; Regni autem Proceres omnes exquisitis tormentorum generibus excruciavit. Copias in Asiam misit A. 1194, quæ post feliciter incœptum bellum, statim ab audita Imperatoris morte, in Italiam redierunt. Ipse igitur suscepta A. circiter 1196 tertia in Italiam expeditione, rebusque Imperii in Sicilia compositis, obiit Messanæ, vel ex veneno, ut nonnulli tradunt, vel malè affecto corpore ex nimia laborum & frigoris vi, quod per noctem inter venandum apud gelidos fontes cubans perpessus fuerat, A. æt. 34, aut 37, imp. 7. *Ot. de S. Blas. cap. 37, &c. Fragm. Hist. Godefr. Alb. Stad. Blond. Dec. 2, l. 6. Volater. lib. 23. Chron. Aug.*

Con-

Constantia, Rogerii Siciliæ Regis filia, Guilielmi Regis pariter soror, Henrici uxor. *Cuspinianus* scribit ipsam decrepitam partum edidisse, & ad suspicionem amovendam palam in tentoriis in pratis Panormi parturiisse. Natus est tunc igitur ex ea Fridericus, postea Imperator hujus nominis secundus, cui aliqui tradunt additum fuisse nomen etiam Rogerii. Defecit in ipsa nobilis Guiscardorum familia, quæ e Normannia in Italiam venerat, & Anno 1059 Apuliæ Calabriæque Ducatum obtinuerat, inde A. 1141 juxta *Contin. Sigeb.* etiam Siciliæ Regnum ab Innocentio Pontifice. Obiit Constantia in Sicilia A. 1198. *Ot. de S. Blas. cap.* 28. *Fragm. Hist. Albert. Stad. Chron. Aug. sub A.* 1191. *Sigon. lib.* 15. Scribit *Platina in vita Cælestini III* Constantiam Monialem fuisse, sed a Pontifice Henrico junctam dispensatione Apostolica, ut nimirum ille contra Tancredum proficisceretur. *Cuspinianus* assignat ipsi filiam Mariam nomine.

ALEXIUS III Isaacio fratri successit in Oriente A. 1195. Cognomen Angeli respuit, & Comneni appellationem desumpsit. Princeps voluptatibus deditissimus, in asseclas suos profusus, inde factus ad avaritiam pronior ex nummorum indigentia; quare ipsa Imperatorum sepulchra spoliari jussit. Fratris Filium in vincula conjecit, qui ex iisdem elapsus confugit ad Venetos, qui valido exercitu, largisque opibus suppetias juveni tulere, unàque cum aliis fœderatis Principibus Alexium expulere, cum imperasset annos 8, aut 9, juxta *Chron. Græc.* Urbe pulsus, dum per Thraciam vagatur, a Montisferrati Marchione captus est. Nudus inde dimissus, post varios eventus apud Nicæam privatè dies clausit. *Nicet. in Alex. & Bald. Niceph. Greg. lib.* 1.

Euphrosina, Alexii uxor. Fœmina superba, luxuriosa, & impudica cum marito perpetuum ferè dissidium egit. Genuit Irenem, Annam, & Eudociam. *Nicet. ibidem.*

In Occidente interim ab Henrici obitu, hoc est ab Anno 1197 nullus certus erat Imperator, duobus illud prehensantibus, Electorumque suffragiis in eosdem distractis, Philippo nimirum Sveviæ, & Othone Saxoniæ Ducibus. Philippus Henrici VI Imper. germanus frater, e Sicilia in Germaniam cum Friderico nepote suo puerulo reversus, electus est ab Electorum quibusdam Imperator A. 1197. Princeps animo lenis, juxta *Ursperg. mente mitis, eloquio affabilis, erga homines benignus, largus satis, & discretus*. Hanc electionem aliis improbantibus, renunciatus est contra ipsum Bertoldus Zaringiæ Dux, qui dignitatem repudiasse fertur, & eandem Philippo cessisse. Statim igitur ab æmulis Philippi translatum Imperium est ad Othonem Saxoniæ Ducem: Inde inter eosdem atrox bellum, quod usque ad Philippi mortem protractum est. Variant hic Scriptores, tradentibus aliis, post novennale bellum pacem initam hac conditione, ut Philippi filiam Otho acciperet in uxorem, interimque de imperio cedens tantùm post soceri obitum imperaret; aliis verò cum *Ot. de S. Blas.* qui iis temporibus floruit, cuique idcirco major videtur habenda fides, affirmantibus conditiones pacis a Philippo quidem Othoni exhibitas fuisse, sed ab eodem repulsas, conjugiumque hujus cum illius filia post ejusdem obitum contigisse. Quidquid sit autem de hoc, certum est, Philippum An. 1208 Bambergæ, dum in cubiculo post venæ sectionem cubat, ab Othone Palatino de Vvitelspach ad colloquium ingresso confossum fuisse pugione, quem sub veste abditum detulerat A. imp. circiter 10; causaque additur in *Chron. Aug.* quòd ipsius filiam, cui conjugium suum pollicitus fuerat, ducere recusaverat. *Ot. de S. Blas. cap.* 46. *&c. Fragm. Hist. Godefr. Alb. Stad.*

Irena, Alexii Imperatoris Græci filia, Philippi uxor. Desponsata prius fuerat Guilielmo Tancredi Siciliæ Regis filio. Genuit Kunegundam, Ethissam, Mariam, & Beatricem. Ipsa post occisum maritum dolore contabuit. *Ot. cit. cap.* 41. *Peucer. Avent. lib.* 7. Ab *Urspergensi* vocatur Erina.

CII.

C I I.



OTHO IV, Henrici Leonis Bavariæ ac Saxoniæ Ducis filius, contra Philippum electus, ut dictum est, eodem mortuo A. 1208. tenuit Imperium, & sequenti anno Romæ coronam accepit ab Innocentio III Pontifice. Animum convertit statim ad sibi vindicandas plures ex Italicis regionibus, ex iis quoque, quæ Pontificii juris essent; quocirca eundem Pontifex per Legatos admonuit, ut ab incæpto desisteret. Sed obtemperare ipse respuens, anathemate percussus est; ideoque plures etiam e Germaniæ proceribus ab eodem sunt alienati. Ipse verò cum Joanne Angliæ Rege, cum Rainaldo Poloniæ, ac Ferdinando Flandriæ Ducibus inito fædere, bellum contra æmulos expedivit, qui Fridericum II Henrici VI Imper. filium ex hortatu Pontificis Imperatorem jam salutaverant, quem sociis armis fovebat etiam Philippus Augustus Rex Galliarum. Cum his Otho congressus ad Bovinas prope Tornacum A. 1214, ingenti suorum cæde victus est. A suis inde desertus, & opibus exhaustus in Saxoniam fugit Imperio privatus; obiitque Brunsuigæ (alii dicunt in castro Harstersburg) An. 1218, cum imperium a morte Philippi per annos circiter sex tenuisset. *Ot. de S. Blas. capit.* 46, *&c. usque ad fin. Fragm. Hist. Chron. Colmar. Godefr. Albert. Stad. Peucer. Ursperg.*

Maria, Brabantiæ Ducis filia, Othonis prima uxor: Ob consanguinitatem repudiata est. *Vvolfg. Laz. in Gen. Duc. Brab. lib.* 3.

Bea-

Beatrix, Philippi, de quo jam ſupra, filia, ſecunda uxor. Die quarto a nuptiis mortua eſt. *Oth. cit. cap.* 51. *Alb. Stad. Hiſt. Auſtr. ſub A.* 1212.

ALEXIUS IV, Iſaaci Angeli filius, a Fœderatis expulſo patruo ejuſdem Alexio, Orientis Imperium obtinuit A. 1203. Patrem ab eodem Alexio excæcatum, & in carcerem truſum inde extraxit, ſibique collegam factum rurſum gubernaculis admovit. Orta verò ſeditione inter Græcos ac Latinos, multiſque ad Imperium aſpirantibus, quos inter Nicolaus Canabus, & Alexius Ducas, ab hoc ſibi familiariſſimo captus eſt, & inter vincula ſtrangulatus, cum bis priùs fruſtra venenum fraude ejuſdem proditoris hauſiſſet. Imperavit Menſes 6 (*Chron. Græca* habet menſe 10 inchoato). *Nicet. in Alex. Acrop. cap.* 3. *Blond. Dec.* 2. *lib.* 6.

ALEXIUS V, Ducas, *Murtzuflus* dictus, ſeu *Mirtylus* (legitur etiam *Morculphus*, & *Murtillus*) ita cognominatus a conjunctis & eminentibus ſuperciliis, Græcorum factione cum Latinis diſſidentium promotus Imperium occupavit eodem anno 1203, ſublato Alexio, cujus fuiſſe patruelis legitur apud *Joelem*. Homo ingenii ſubdoli, ac libidini dediti ſſimus. Sceleris autem conſcientia tactus, ideoque ſibi a Latinis timens, fugit in Peloponneſum. Ibi captus, & ad urbem ductus excæcatus eſt; inde ex alta columna præceps datus, & diſcerptus, imp. menſe 3. *Nicet. in Murtzuf.* & *Bald. Acrop. cap.* 3.

BALDUINUS, Flandriæ Comes, ex fœderatorum omnium conſenſu Orientis Imperator creatus eſt, occiſo Murtzuflo A. 1204; & ut Venetis quoque, qui validiſſima adfuerant claſſe, aliquid de Imperii communione contingeret, in Patriarcham Conſtantinopolitanum electus eſt Thomas Maurocenus, Duxque Venetiarum Deſpotæ dignitate juxta *Acropolitam* donatus. Movit autem Balduinus contra Joannem Myſorum Ducem, a quo

per

per insidias est captus, ipsiusque jussu post multum temporis amputatis manibus & cruribus, in vallem quandam projectus, ubi volucrum cibus infeliciter occubuit. *Nicet. in Bald. Acrop. cap.* 8. *Blond. Dec.* 2, *lib.* 6. Imperavit anno tantùm juxta plerosque. *Naucl. Vol.* 2, *Gen.* 41, quinque imperii annos eidem assignat.

HENRICUS, Balduini frater, successit eidem A. 1205, aut 1206, juxta alios. Princeps prudentissimus, & tum domi tum foris gerendis rebus aptissimus; sed perpetuis Barbarorum incursionibus exagitatus. Imperium tamen fortiter non modò tutatus est, sed & auxit. Obiit subito fato A. imp. 11. *Munster. Blond. loc. cit. Peucer. lib.* 5. *Cuspin.*

CIII.



FRIDERICUS II, Henrici VI Imperatoris filius, contra Othonem, ut diximus, Imperator electus anno circiter 1212, eodem profligato A. 1214, Imperio solus potiri cæpit; coronamque auream accepit ab Honorio III Pontifice, A. juxta plerosque 1220. Princeps magnis æquè virtutibus ac vitiis imbutus literatos fovit, liberalitatem exercuit, bellica virtute claruit; sed immodicæ fuit libidinis, crudelitatis, impietatis, ac violentiæ in Pontifices. Ab iisdem quinquies excommunicatum fuisse tradunt Auctores. Primò ab eodem Honorio, quòd Episcopos quosdam variè vexasset, & de sedibus expulisset. Secundò a Gregorio IX quòd expeditionem in Palæ-

stinam,

ſtinam, quam pollicitus fuerat, non ſuſcepiſſet. Hanc ipſe poſtea quidem ſimulatè abſolvit, ſed pace cum Sultano parum honeſtè facta, brevi reverſus eſt. Tertiò ab eodem ob immaniſſimas ſtrages, quibus Lombardiam, aliaſque Italiæ Regiones devaſtavit, incendit, ac penè deformavit. Quartò ab Innocentio IV, quòd in impietate adhuc ſua perſeverans Eccleſiæ bona ſibi uſurparet. Quintò ab eodem, quòd ad Lugdunenſe Concilium pergere recuſaverit: Neque ſolùm excommunicatus, ſed Imperio indignus judicatus, ab eodem etiam dejectus eſt A. 1245. Fridericus poſthæc Italiam variè turbavit, & Parmam obſedit, a qua ingenti clade eſt repulſus. Cum a ſuis autem paulatim relinqueretur, in Siciliam ſe recepit, obiitque A. 1250, in Arce quadam Apuliæ, quæ Florentina dicebatur, vel a Manfredo notho ſuo ſuffocatus, ut plerique ſcribunt; vel, ut alii, gravi correptus morbo; vel ex veneno, ut legitur in *Chron. Aug.* ubi quoque ſub A. 1232 traditur, ipſum Venetias inviſiſſe. *Alb. Staden.* quem ſequitur *Egnatius*, mortuum ipſum ait Panormi. Obiit A. æt. 57, imp. 35, ſi numeremus uſque ad annum, quo depoſitus eſt per Pontificem. Fundavit Academias Viennenſem, & Neapolitanam; item Bononienſem juxta *Egnatium* Patavium tranſtulit, Bononienſibus iratus quòd ſtatim imperata non feciſſent. *Fragm. Hiſt. Chron. Colmar. Godefr. Alb. Stad. Chron. Aug. Sigon. l. 16. &c. Blond. Dec. 2, l. 6, & 7. Urſperg.*

Conſtantia, Arragoniæ Regina (*Blondus D. 2, lib. 7,* ait Caſtellæ) Friderici prima uxor. Natus ex hac Henricus, qui a Patre Cæſar factus, cum Imperium affectaret, juſſu ejuſdem miſſus eſt in Apuliam in carcerem; ibique obiit. *Fragm. Hiſt. Chron. Auſtr. Blond. loc. cit.*

Jole, ſive Jolanta, Joannis de Bregna Hieroſolymitani Regni filia, ſecunda uxor. Hæc marito dotis nomine titulum Hieroſolymitani Regis detulit, quod deinceps Siciliæ Reges tenuere. Genuit Conradum, qui cum in Apulia eſſet, arte Manfredi, qui & patrem Fridericum interemerat, venenato clyſtere ſublatus eſt A. 1252, ſeu 1254, ſecundùm alios. *Fragm. Hiſt. Genebr. l. 4. ſub. A. 1215.*

Mech-

Mechtildis, Joannis Angliæ Regis filia, tertia uxor. Genuit Henricum Juniorem, & Constantiam. *Chron. Eluvag. sub An.* 1235. *Sigon. lib.* 17 vocat ipsam Isabellam.

Tres hæ Friderico uxores ab Auctoribus omnibus unanimiter atribuuntur, & quidem apud veteres historicos harum tantùm mentionem fieri videre est: Recentiores autem tres alias eidem assignant; nimirum Rutinam filiam Othonis Comitis Bavarici in Vvolffershaussen; Isabellam Ludovici Bavariæ Ducis filiam, ex qua nata Agnes, seu Margareta; & Agnetem Othonis Meraniæ & Istriæ Marchionis filiam. Hanc ab eodem utpotè consanguineo repudiatam Ulrico Carinthiæ Duci nupsisse ferunt. Sed *Chron. Aug. sub An.* 1236, videtur ipsam assignare Friderico Austriæ Duci, qui iis temporibus floruit. *Peucer. libr.* 5. *Cuspin.*

Præter uxores jam relatas plures habuit concubinas, inter quas maximè celebratur Blanca Montisferrati Marchionissa, ex qua nati Manfredus, Encius, & Fridericus. *Peucer. loc. cit.*

PETRUS Curtiniacus, Comes Antisiodorensis, uxorio nomine Imperium Orientis adeptus est A. 1217, eodemque anno ab Honorio III Pontifice coronam accepit. In reditu frustra tentata Dirracchio, quam Theodorus Lascari tuebatur, dum accepta ab eodem priùs securitatis fide, ad Macedoniæ urbes pergit, ipsius Theodori insidiis captus est, & ad eundem ductus, obtruncatusque biennio post in carcere. Imperavit Anno tantùm. *Blond. D.* 2, *lib.* 7. *Munster. Genebr. Plat. in Honor. III. Cuspin.*

Tolanta, seu Jolanta, Henrici Imperatoris Constantinopolitani filia, Petri uxor. *Niceph. Greg. lib.* 4. *Auctor. citati.*

ROBERTUS, Petri filius ex Tolanta, matris opera ad Imperium vocatus est e Galliis A. 1218. Veneti nominis adeò studiosus fuisse fertur, ut Marinum Michaelem Constantinopolis Prætorem Imperii consortem appel-

appellaret. Obiit in Achaja dum Roma revertitur, A. imp. circiter 11. *Blond. loc. cit. Egnat. Strada. Cuspin.*

BALDUINUS II, Roberti filius, seu frater (utrumque ab auctoribus tradi notat *Nauclerus Vol. 2. Gen.* 42) Roberto successor debebatur A. 1229; sed cum ipse in uxorem ducere meditaretur filiam Imperatoris Exagonarum ad mare Ponticum, Latini Matrimonium hoc suspicientes eidem adversati sunt; immo Balduini ætatem causati Joannem de Bregna, qui Regis Hierosolymorum nomen ferebat, ex Italia accersivere, ut res interim tutoris loco administraret, post cujus mortem Balduinus imperio liberè potiretur. Contigit autem ejusdem Joannis mors An. 1237, aliis 1240. Tunc igitur Balduinus Imperium liberè obtinuit, quod plurimis ac difficillimis bellis adversus Principes Græcos sibi illud vindicantes tutatus est, auxilio præcipuè Venetorum, qui Imperatori pecunia, militibus, & valida classe præstò semper fuere. Ingressis autem urbem Græcis subdolè per foramen quoddam murorum, Duce Michaele Palæologo, fugere Balduinus compulsus est, Ann. a Roberti morte 32. Ita Orientis Imperium ad Græcos rediit, cum ipsum Latini per Annos 56 circiter tenuissent. *Niceph. Greg. lib. 4. Acrop. cap. 87, &c. Blond. D. 2, libr. 7. Strada. Munster. Sabellic. D. 1. libr.* 10.

Martha, Joannis de Bregna filia, Balduini uxor. *Auctores cit.* A *Blondo* nominatur Philippus ejusdem filius, quem Pater tradidit mercatoribus Burgensibus, pignus æris alieni contracti, quem ipsi postea Venetias duxere. Meminit hujus & *Sabellicus loc. cit.*

Dum Orientalis Imperii sedem Latini obtinerent, Græcorum principes, quos Constantinopoli iidem expulerant, varia sibi Regna per ejusdem Imperii regiones constituerunt. Nam David & Alexius Comneni Trapezuntinum Regnum posuere in Ponto: Theodorus Angelus Thessalonicæ Regnum itidem: Teodorus verò Lascari Nicææ in Bithynia Imperii quandam imaginem sibi vindi-

vindicavit An. 1204. Obiitque An. imper. 18. Successit ipsi ab eodem electus Joannes Ducas, cognomento *Batatzes*, seu *Vatacius*, & *Diplobatasius* Anno 1222, qui auxit imperium. Obiit A. imp. 33. Hunc excepit Theodorus Ducas filius An. 1255, qui visa solis eclypsi, in monasterium dicitur se clausisse, A. imp. 4. Successit eidem Joannes filius A. 1259, sed A. imp. 1 (*Chron. Græca* habet mense 4.) depositus est, & relegatus, ad Constantinopolitanum Imperium assumpto Michaele Palęologo, de quo infra. *Acrop. Duc. cap.* 2.

Interea in Occidente fluctuabat Imperium, nulli securè innixum. Quocirca contigit interregnum ab A. 1245, quo depositus est Fridericus, ad A. 1273, quo electus Rudolphus. Degustaverunt interim illud Henricus, Guilielmus, Richardus, & Alphonsus. Ipsos nonnulli inter Imperatores recensent; nos cum plerisque sentientes non item, sed seorsim ab Imperatorum numero referemus. Adnotandum est, a *Christiano Matthiæ* in Imperatorum albo reponi etiam Conradum Friderici ex Jola filium, nomine Conradi IV, quem sibi Pater consortem dominationis elegerat Vormatiæ sub Ann. 1235; sed Auctor citatus de more quovis modo electos inter Imperatores enumerat.

Henricus, Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, exautorato Friderico electus est eodem A. 1245 Imperator apud Herbipolim. Movit contra ipsum Conradus Friderici filius; dumque Ulmam Henricus obsidet, sagitta ictus est. Inde autem reversus obiit ex vulnere, An. ab electione sua circiter 2. *Fragm. Hist. Albert. Stad.*

Guilielmus, Brabantiæ sive Hollandiæ Comes, Florentii ac Mechtildis filius, electus est Coloniæ, annuente Pontifice, post Henricum Ann. 1247, aut 1248. Contra hunc quoque missus est a patre Conradus, & variè pugnatum. Rebellantibus Frisiis occurrens, dum contra ipsos pugnat, incidit cum equo in glaciem, e qua cum subsilire non posset, jaculis est confectus A. imp. circiter 9. *Fragm. Hist. Alb. Stad. Alb. Argent.*

Eliza-

Elizabetha, Othonis Brunsuicensis Ducis filia, Guilielmi uxor. Genuit Florentinum, & Beatricem. *Peucer. lib. 5. Christ. Matth. in Guil. cap. 2.*

Richardus, Cornubiæ Comes, Henrici III Angliæ Regis frater, post Guilielmum a Principibus plerisque Imperator electus est A. 1257. Cum autem, electo ab aliis Alphonso, parum firmè consistere se posse cerneret, in Angliam rediit A. 1259. Obiit ibidem A. 1271, ad Levisum maritimum oppidum, dum armis fortiter Fratris causam tuetur adversùs Proceres Regni; alii scribunt, ipsum in ea pugna captum fuisse unà cum nepote, & aliis. *Chron. Aug. sub An. 1257. Fragm. Hist. Polyd. Verg. lib. 16.* Non omittendum, Richardum hunc ab *Alb. Argentinensi* poni ante supradictum Henricum, ipsiusque Historiam aliter tradi.

Alphonsus, Castellæ Rex, Ferdinandi III Hispaniarum Regis filius ex Beatrice, eodem Anno 1257 a Richardi æmulis electus est Imperator. Princeps excelsi ingenii, & eximiæ literaturæ, Astronomiæ peritissimus, dictusque *Sapiens* cognomento. Cum undique imminentia bella conspiceret, sponte cessit Imperio, & in Hispaniam suam se recepit. Audito autem, Richardum quoque æmulum e Germania recessisse, spe Imperium acquirendi rursum exarsit; sed cum adhuc omnia inquieta essent, electusque fuisset inde Rudolphus, in Hispaniam denuo reversus est, nec multò post obiit Hispali ex mærore, cum Imperatoris nomen per annos circiter 16 tenuisset. *Chron. Aug. sub An. 1257. Munster. libr. 2. in Reg. Hispan. Cuspin. Sturc. cap. 56.*

Violanta, Jacobi Arragoniæ Regis filia, Alphonsi uxor. Genuit Ferdinandum, Sanctium, Joannem, Ferenguellam (*Cuspiniano* Berenguellam) Leonoram, & Beatricem. *Munster. loc. cit.*

MICHAEL

MICHAEL VIII, Palæologus (familiam hanc e Viterbio genus duxiſſe tradit *Volater. lib.* 23.) Conſtantinopoli potitus, & Balduino cum Francis fugato, Orientis Imperium veteremque ſedem Græcis reſtituit A. 1261. *Chron. Aug.* hoc ponit ſub A. 1259. Ad Concilium Lugdunenſe perrexit; confirmatuſque eſt a Pontifice Gregorio X, An. 1270. Cum Venetis ſæpè pugnavit, infelici plerunque marte; profligatuſque omnino fuiſſet, niſi ipſum Genuenſes auxiliis ingentibus juviſſent. In Aſia non mediocrem Imperii partem amiſit, Turcis undique ingruentibus. Obiit prope Lyſimachiam cordis morbo correptus, A. imp. 22 (*Chron. Græca* habet quaſi 24); ferturque ſepulturæ honore caruiſſe, irritatis Græcis quòd cum Romano Pontifice ſine eorundem aſſenſu conveniſſet, legibus acceptis in Græcarum Eccleſiarum detrimentum. *Acrop. cap.* 87, *&c. Niceph. Greg. lib.* 4. *&* 5. *Volater. libr.* 23.

Theodora, Michaelis uxor. Genuit Manuelem, Andronicum, Conſtantinum, Theodorum, Irenem, Eudociam, & Annam. *Niceph. Greg. lib.* 6. *cap.* 1, 7, *&* 11.

C I V.



RODOLPHUS, Alberti Comitis Habsburgenſis (*Benven.* habet de Avenſperg,) & Heduigis Comitiſſæ Kiburgenſis filius, Imperator tandem, poſt longum interregnum, creatus eſt An. 1273. Majores hujus ex Aventino Romæ oriundos tradit *Alciatus*

M Prin-

Princeps summis virtutibus ornatus, comitate præsertim, ac parsimonia, bellicisque virtutibus æquè clarus. Italiam nunquam ingredi voluit, præteritorum Cæsarum infortuniis admonitus. Plura verò in Germania sua bella gessit, in quibus, virtute summa & felicitate suffragantibus, tot ferè victorias retulit, quot prælia commisit. Octacarum, aliis Utaccerum, Bohemiæ Regem ipsi parere recusantem fudit, supplicemque factum mox recepit in gratiam. Hic autem cùm in fide non persisteret, immo An. 1277, seu 1278, magno cum exercitu Imperatorem lacessiret, commisso prælio anno sequenti in campo, qui dicitur Hidersprug prope Viennam, captus est, & a gregario quodam milite occisus. Alia insuper bella gessit felici marte cum Helveticis, & Burgundis. Austriam Alberto filio dedit, a quo Austriaca Domus. Obiit senio curisque confectus in oppido Gemershein, non longè a Spira. An. ætat. 73, imper. circiter 19. *Chronic. Colmar. Ann. Steronis, Hist. Austr. Alb. Argentin. Munster. in Rod., & in descript. Austriæ.*

Anna, Bernardi seu Burchardi Comitis Hohebergensis in Svevia filia, Rodolphi prima uxor. Genuit filios plures, & filias; variant autem Auctores in numero & nominibus assignandis. *Cuspinian.* recenset Rodolphos duos, Hermannos duos, Fridericum, Carolum, & Albertum; filias verò Euphemiam, Juttam, Agnetem, Mechtildim, Catharinam, Annam, & Clementiam. *Christ. Matth.* mares eosdem ponit, easdemque fœminas, Annam tantùm non refert, sed sive ejus loco, sive altera sit, Heduvigim nominat. Consentit in fœminis cum *Auctor. cit. Peucerus*, variat autem ab utrisque in maribus; nam unum tantùm Rodolphum, & unum Hermannum recenset; aitque a quibusdam poni pro Friderico Rodolphum alterum, pro altero Hermanno Carolum. *Munster. in Gen. Habspurg.* nominat Albertum, Rudolphum, & Hermannum tantùm, filias verò easdem, quas Cuspinianus. Dictos tres filios tantùm refert etiam *Albertus Argent.* Obiit A. 1281. *Ann. Ster. Hist. Austr.*

Agnes,

Agnes, Burgundiæ Ducis filia, Franciæ Regis neptis, secunda uxor. Hanc duxit Rodolphus cum esset Annorum circiter 69. *Peucer. Cuspin.*

ANDRONICUS II, Palæologus Michaeli patri successit in Oriente A. 1283. Fratrem suum Constantinum, qui in suspicionem affectati Imperii venerat, oppressit. A Turcis omni ferè ditione in Asia privatus est, & a Nepote suo Andronico, quem Genuenses classe juvabant, Imperio penè depulsus. Venetorum autem auxiliis restitutus est; quocirca Tenedon ipsis donasse perhibetur. Nova autem in dies fovente dissidia nepote, omni ferè auctoritate privatus, sola retinuit insignia principatus; tandemque etiam coactus est Monasticam subire vitam, sponsione quoque facta se ad Imperium non ampliùs aspiraturum. Obiit quarto post anno mærore confectus & lachrymis, quibus etiam dicitur a nonnullis oculos amisisse. Vixit Annos 74, imperavit 45. *Niceph. Greg. lib.* 6, *&c. Cantacuzen. lib.* 1, *&* 2. *Volater. Peucer. Genebr.*

Prima uxor Andronici Anna Stephani Hungariæ Regis filia fuit; ex eaque suscepit Michaelem, quem fecit Imperii consortem, & Constantinum Despotam. *Nicephor. Greg. lib.* 6, *cap.* 2.

Irena, Marchionis ex Hispania filia, secunda uxor. Genuit Joannem, Theodorum, Demetrium, & filiam Simonidem. *Idem. lib.* 7, *cap.* 8. Multum hìc variant recentiores. Nam *Vvolfg. Laz. in Gen. March. Montisfer.* ipsam dicit filiam Bonifacii tertii, quo autem nomine fuerit non tradit. *Cuspinianus* autem vocat ipsam Violantidem, filiamque dicit Gulielmi pariter M. M. F. *Peucerus* vocat Irenam quidem, & ex M. F. sed cujus filia fuerit non recenset.

C V.



ADOLPHUS, Comes de Naſſau, Rodolpho ſucceſſit, in Imperio, Francofurti creatus A. 1292. Princeps avaritia, crudelitate, libidine infectus, nihil tantæ dignitati conſonum geſſiſſe traditur. Procerum quinimo in ſe ferè ſtatim odia convertit; præſertim ex pactione cum Eduardo Angliæ Rege facta, ſuppetias eidem ferendi contra Gallos mercenaria militia; quod ut præſtaret tradita ipſi fuiſſe ab eodem Eduardo triginta millia marcarum tradit *Chron. Colmar.* Electoribus igitur indignum Imperio eundem judicantibus, electus eſt contra ipſum Albertus Auſtriacus. Contra hunc movit Adolphus cum exercitu; commiſſaque acerrima pugna per ſex horas, in campo dicto *Burgentrich* propè Vormatiam, victus eſt; ab eodemque Alberto vulneratus (*Chron. Eluvag.* ait a Joanne) obiit A. imp. 6, aut 7. *Alb. Argent. Munſter. Cuſpin.*

Imagina de Limpurgo, Adolphi uxor. Genuit Adolphum, Henricum, & alterum, de cujus nomine non conſtat, filiam quoque Mechtildim. *Chron. Eluvag. Ann. Rebd. Chriſt. Matth.*

CVI.

C V I.



ALBERTUS Austriacus, Rodolphi Imp. ex Anna filius, Imperator est renunciatus, ut jam diximus, Moguntiæ contra Adolphum, confirmatusque est eodem sublato, An. 1298, aut 1299. *Monoculus* dictus est cognomento, quòd ex vi veneni eidem ab Episcopo Salisburgensi propinati, dum illud arte medica evomere conatur, oculum amiserit. Princeps plurimis eximiisque virtutibus ornatus, quas tamen omnes immodica avaritia fædavit. Nonnulla gessit interna bella; nimirum contra Electores, Trevirensem, Moguntinum, Coloniensem, & Rudolphum Palatinum, qui fædus contra Imperatorem iniverant, eosdemque repressit: Contra Othonem Bavariæ Ducem, qui Salisburgensis Episcopi adjutus artibus Hungariæ Regnum affectabat; & cum ipso quidem ancipiti marte pugnavit, tuncque ipsi Alberto venenum est propinatum, ut supra retulimus: Contra Fridericum, & Dithmannum Misniæ Marchiones, crediturque ex aviditate opulentam provinciam acquirendi; cum his autem iniquo marte, nam prælio magno victus est. Moverat inde in Henricum Carinthiæ Ducem, ut Bohemiæ regnum recuperaret, quod ille sibi Imperatore inscio usurpaverat; sed facta suorum conspiratione, principe fratris sui filio, cui Sveviæ Ducatum, tanquam nimis prodigo abstulerat, pugione ictus est ab eodem (in *Chron. Eluvag.* dicitur ipsum occisum a Joanne patruo suo) juxta *Kuningsfeld*, ab aliisque inde conjuratis est trucidatus, An. imp. 10. *Chron. Colmar. Alb. Argent. Munster. Cuspin.*

Elizabetha, Meinhardi Tyrolensis Comitis filia, Alberti uxor. Fæmina pia, & sagax, quæ prima salis fontes invenisse fertur in Austria. Genuit liberos 21, quorum ad nos pervenere nomina tantùm 11, suntque; Rudolphus *Mitis*, Fridericus *Pulcher*, Leopoldus, Henricus, Albertus *Sapiens*, Otho, Agnes, Elizabetha, Anna, Catharina, Gutta. *Alb. Argent. Hist. Austr. Munster. in Gen. Habspurg. Peucer.*

C V I I.



HENRICUS VII, Henrici Comitis Lutzelburgensis & Beatricis Hannoniæ Comitissæ filius, post varia Electorum dissidia, quorum distrahebantur suffragia a Philippo *Pulchro* Galliarum Rege, qui Henrico Valesio fratri suo Imperium aucupabatur, Imperator electus est Francofurti juxta plerosque (alii dicunt Luceburgi) An. 1308; Romæque coronatus est sub Clemente V a ministris, quos Pontifex ipse in Gallia tunc residens ad hoc elegerat, An. 1312, juxta nonnullos autem 1309. Fuit auctoritatis suæ tenacissimus, pro eademque servanda violentus; moribus alioquin honestis, Princepsque non improbandus. In Italiam veniens, ferream quoque Coronam accepit Mediolani, ubi cuncta armis ac terrore compescuit, & in obedientiam adegit, territa non parum ipsa urbe Roma. Movit inde in Florentinos, Apuliæque Regem Robertum iisdem faventem, sed in medio rerum cursu sublatus est apud Bonconventum, non longè a Senis (*Ann. Rebd.* habent *in Castro Bonthonventb*) plurimique scribunt, porre-

porrectum ipsi venenum in Particula Sacratissimæ Eucharistiæ,manu cujusdam Bernardini, seu Jacobini: Non desunt tamen qui ipsum naturali fato periisse tradant, inter quos *Mussat. lib.* 16,*cap. ult.* Vixit A. 51, imperavit circiter 5. *Vecer. Albert. Argent. Mussat. Benven. Munster.*

Margareta, ob liberalitatem in pauperes Eleemosynaria dicta, Brabantiæ Ducis filia, Henrici uxor. Ab *Alb. Argent.* vocatur Beatrix. Genuit Joannem, Beatricem, Mariam, & Agnetem. Obiit Januæ in Italia. *Vecer. Peucer.*

Desponsata ipsi quoque soror Ducum Austriæ fuisse traditur, sed ad thorum non pervenisse. *Chron. Eluvag. sub An.* 1314.

Ab Henrici obitu secutum est interregnum per menses 14, Electoribus inter se non convenientibus. Divisis inde suffragiis electi sunt Friderici Austriacus, & Ludovicus Bavarus.

Fridericus, *Pulcher* cognomento ab eleganti corporis forma, Austriæ Dux, Alberti (*Mussatus* perperam habet Rodolphi) Imperatoris filius, ab Electoribus, Coloniensi, Palatino,ac Saxonico Imperator electus est Francofurti A. 1314, cæteris Ludovicum Bavarum renunciantibus. Ab eodem anno usque ad 1322, seu 1323 secundùm alios multa tentavit in Germania, pluriesque cum æmulo ancipiti marte conflixit. Ingenti tandem collecta utrinque acie, atrox commissa est pugna prope *Muldorff* in Bavaria, in qua Fridericus equo lapsus, dum impigrè dimicat captus est. Triennio apud victorem stetit in vinculis; dimissus inde est hac conditione, ut Austria sua contentus penitus de Imperio cederet. Obiit A. 1330 ex dysenteria;ferturque propinatum ipsi fuisse venenum, quòd ipsius asseclæ adhuc aliquatenus tumultuarentur. *Albert. Arg. Mussat. in Lud. Bav. Ann. Rebd. Munster. Peucer.*

Primæ uxoris loco desponsata ipsi fuerat Isabella Renoldi Geldriæ Comitis filia; sed ob patris proditionem eam non traduxit. *Cuspin.*

Elizabetha, Jacobi Arragoniæ Regis filia, Friderici

M 4 altera

altera uxor; fœmina miræ pietatis in maritum, quæ oculos penè amisisse dicitur ex lachrymis propter ejusdem captivitatem. Genuit Fridericum, Annam, & Elizabetham. *Ibidem.*

CVIII.



LUDOVICUS V, Bavariæ Dux, Rodolphi Imperatoris ex filia Mechtilde nepos, ab Electoribus Moguntino, Trevirensi, Bohemico, & Brandeburgensi Imperator electus jam An. 1314, sublato æmulo Friderico, Imperium solus obtinuit An. 1322, seu 1323, ut & supra adnotavimus. Ingenio violentus, armis strenuus, & audax ad omne discrimen, sed nimiùm præceps; in expeditionibus suis terram, & pauperes excoriari permisit, Clericosque sæculares acerrimo odio habuit, ut notat quidam ex antiquioribus. Italiam ingressus, longè latèque grassatus est, Guelphorumque ac Gibellinorum factionibus excitatis, omnia turbavit. Inde a Pontifice Joanne XXII excommunicatus est, tum ex hoc, tum quòd Galeatium Mediolani Ducem pariter excommunicatum foveret; & quòd se liberiùs pro Imperatore gereret, cum & in Electorum discordia electus fuisset, & coronam auream non accepisset. Quapropter Romam versùs contendit A. 1328; ingressusque Urbem, ibidem coronari se jussit; & Petrum de Corbaria, seu de Corvario (utrumque legitur) ex Franciscanis ad Pontificatum evexit Nicolai nomine, qui Anno circiter 1332 videns Ludovici potentiam declinare, eodem inscio, profectus est

Ave-

Avenionem ad Joannem legitimum Pontificem, supplexque ipsi factus veniam obtinuit. In Germaniam interim reversus erat Ludovicus; qui deinceps nihilò melior factus, sed infestum se adhuc & impium adversùs Sanctam Sedem exhibens, rursum anathemate percussus est a Clemente VI, cujus monitu Electores Carolum Bohemiæ Regem Imperatorem elegerunt An. 1346. Ipse anno sequenti obiit apoplexia correptus, dum equitaret exercitii gratia, non longè ab urbe Monaco Diœcesis Frisingensis. Imperavit a Friderici captivitate Annos 24, vixit 63. *Albert. Argent. Mussat. in Lud. Bav. Cortus. libr.* 3, *cap.* 8, *&c. & lib.* 9, *cap.* 11. *Ann. Rebd. Egnat. Munster. Peucer.*

Primæ uxoris loco habuit Comitissam valdè divitem (ea fortasse, est quam *Vvolfg. Laz. in Gen. Duc. Bavar.* dicit Ducissam Lignicensem). *Cuspin. Peucer.*

Beatrix, Poloniæ Regis filia, Ludovici secunda uxor. Genuit Ludovicum, & Stephanum cognomento *Fibulatum. Auctor. cit.*

Margareta, Guilielmi Hollandiæ Comitis filia, tertia uxor. Ex hac nati Albertus, Otho, Guilielmus, Ludovicus, cognomento *Romanus. Peucerus.* Nominatur etiam ipsius filia Elizabetha. *Munster. Christ. Matth. cap.* 2.

ANDRONICUS III, Andronici II ex filio Michaele nepos, deturbato prorsus avo, Orientis Imperio potitus est Anno 1328. Princeps alioquin humanus, & clemens, qui tamen nullius consilio unquam adhæsit. Venationi adeo fuit addictus, ut 1500 Canes, Accipitresque 100 feratur habuisse. Cum Turcis & Bulgaris infeliciter pugnavit. Obiit ex lethargo, splenis morbo priùs correptus, A. ætat. 45, imper. 13. *Niceph. Greg lib.* 8, *&c. Cantacuz. lib.* 1, *&* 2.

Irena, fœmina Alemanna, Andronici uxor. *Niceph. Greg. lib.* 8, *cap.* 19.

Anna, e Longobardia, altera uxor. *Idem cap.* 21. Genuit Joannem, Theodorum, & Manuelem. *Idem. lib.* 10, *cap.* 3. *Cantacuz. libr.* 2, *cap.* 40, ipsam vocat sororem

Sabau-

Sabaudiæ Comitis. Brietius quoque *Sæc.* 14, sub A. 1325. ipsam e Sabaudia dicit, sed Beatricem vocat; adnotatque, a Græcis Annam vocari. Alii vocant Joannam; genuitque juxta ipsos Joannem, Manuelem, Theodorum, duasque filias.

JOANNES III Andronico successit patri sub tutela Joannis Cantacuzeni Domesticorum Præfecti A. 1341. Princeps socordia desidiaque mollis, delitiis deditus & immersus. Bellum quinquennale gessit cum tutore suo, ut infra clariùs dicetur. Hoc Imperatore Turcæ in Europam transfretarunt, ab Amurathe III eorundem duce inito fœdere cum Imperatore, & Genuensibus, qui navium sexaginta commeatu Barbaros juverunt. Romam Joannes perrexit An. 1369, Venetiasque tum in adventu, tum in reditu invisit: Cum verò ibidem, magnâ vi pecuniæ a fæneratoribus accepta, eidem solvendæ par non esset, ab iisdem detentus est; sed Manuel filius ejus natu minor obsidem se dedit pro patre. Conjuravit contra ipsum Anno 1377 filius alter ipsius Andronicus, Genuensium fultus auxiliis; sed pater re detecta filium jussit excæcari, & in carcerem detrudi. Hic non multò post in libertatem se se vindicans, contra patrem rursum movit, quem de Imperio dejectum vinculis etiam mancipavit, a quibus post duos annos Joannes se se proripuit, & regno restituit. Obiit corporis doloribus excruciatus Anno æt. 60, Imperii a Patris morte circiter 50. *Cantacuzen. lib.* 3. *Ducas. cap.* 5. *Genebr. libr.* 4. *Egnat. Briet. Sæc.* 14. *passim*. Non desunt qui dicant ipsum Imperium deposuisse An. 1384; sed res ejus temporis tam variè etiam a veteribus traduntur, ut mirum non sit, si inter se supra modum dissentiant recentiores. Videri possunt *Cuspin.* & alii, inter quos *Peucerus*, qui Joannis fata & exitum aliter tradit; brevitati enim studere nostri est instituti.

Helena, Jo: Cantacuzeni filia, Joannis uxor. Genuit Andronicum, Manuelem, & Theodorum. *Cantacuz. lib.* 4, *cap.* 1. *Ducas cap.* 10, & 12. Alii addunt Demetrium, & Ire-

& Irenem, Andronicus Imperatoris nomine a Patre donatus est, quod cessisse traditur fratri Manueli, de quo infra.

Joannes Cantacuzenus, genere nobili & ab Heroibus deducto, juxta *Ducam cap.* 7, tutor Imperatori datus, fraude cujusdam Apocauci in exilium missus est, seu quòd superbè nimis pro Imperatore se gereret supra tutoris conditionem, seu ex sola invidia. Impatiens injurię, insignia imperatoria sumpsit in exercitu, bellumque contra Imperatorem gessit circiter quinquennale, donec tandem perfosso urbis muro Constantinopolim ingressus est, Principemque unà cum matre ipsius Anna captivum fecit. Cum ipsis tamen humanissimum se gessit; filiam quinimmo suam Joanni sponsam dedit. Nunquam verò extinctę sunt inter Generum & Socerum simultates; illeque urbe fugiens cum matre biennio ferè per Germaniam & Italiam circumcursavit, inde autem reversus, in insulam Tenedon se recepit. Cantacuzenus An. 1355, de se actum sentiens, ad Monasterium Beatissimæ Virginis se contulit, ubi religiosum habitum sumpsit, cum præfuisset rebus A. circiter 14, & Joasaphi nomen sumpsisse traditur. Alii scribunt, ipsum per vim in monasterium trusum fuisse. *Cantacuz. lib.* 4. *Duc. cap.* 5, *&c. Strada*, & alii, quos supra recensuimus.

Irena, Jo: Cantacuzeni uxor.. Monasticam ipsa quoque vitam subiit, & sibi Eugeniæ nomen imposuit. Liberi recensentur Matthæus, Helena, & Theodora. *Briet. sæc.* 14, *sub A.* 1345, *&* 1355.

CIX.

C I X.



CAROLUS IV, Vvenceslaus primò dictus, Henrici Lucelburgensis Imperatoris ex filio Joanne Bohemiæ Rege nepos, electus est a quatuor ex Electoribus in villa *Rentze* diæcesis Trevirensis contra Ludovicum Bavarum Imperator A. 1346. Eo verò mortuo, non statim ab omnibus confirmatus est; nonnullis immo ipsum improbantibus, nominatus est in Imperatorem Eduardus Angliæ Rex. Huic dignitatem recusanti suffectus fuerat Fridericus Thuringiæ Landgravius, Misniæque Marchio, qui subire Imperium pariter detrectavit. Tertio igitur loco suffecere Guntherum Comitem in *Suvazemburg*, sive *Schuvartzemburg*; qui A. 1348, seu 1349, Francofurtum veniens, publicè acclamatus est Imperator. Carolus autem, corrupto Fridanko ejusdem Medico, operam dedit, ut ipsi venenum propinaretur; quare intra sex menses Guntherus sublatus, & Carolus liberè potitus est Imperio A. circiter 1350. Fuit princeps literis addictissimus, multarum linguarum peritus, qui Philosophicas disputationes cænam suam vocabat, Pragæque Academiam constituit. Coronam Auream accepit Romæ Anno 1355, ab Ægidio Cardinali Pœnitentiario Innocentii VI Pontificis; recessitque illico, cum sponsionem olim fecisset, se statim ab acceptis insignibus Imperii ab Italia discessurum: Additque *Benvenutus*, ipsum abiisse *cum magna pecunia, sed majore infamia*. Delphinatum Galliæ Regi Philippo Valesio ab Humberto Delphino A. 1349 venundari permisit, modò primogenitus Regis eum teneret, & tanquam feudum

dum ab Imperatore susciperet. Sexdecim quoque Sveviæ civitates tradit *Christ. Matth.* ab ipso vicinis Principibus venditas, ut pecuniam pro electione Filii sui Vvenceslai congereret: Sed alii, inter quos *Naucler. sub An.* 1370, dicunt, ipsum obligasse iisdem telonia, vectigalia, & alia Imperii jura titulo pignoris. Bohemiæ Regnum ampliavit adjunctis Lusatia, & Silesia. Carolinam legem, sive Auream Bullam edidit, in qua continentur leges omnes, ac ritus pro electione Imperatoris, itemque singulis Ordinibus sui gradus assignantur, &c. Ob ipsam a Scriptoribus Germanis summè tollitur, alioquin malè audiret; ajunt enim ipsum Bohemiæ amantiorem fuisse, quàm Imperii. Nonnulla gessit bella, sed non magni momenti; & fuisse videtur pacis studiosus potiùs, quàm belli. Obiit Pragæ A. æt. 63, imp. a Ludovici depositione 32. *Ann. Rebd. Alb. Argent. Peucer. Egnat. Cuspin. Munster. Naucler. Gen.* 45, & 46. *Æn. Sylv. cap.* 33.

Blanca, Caroli Valesiæ Comitis filia, Caroli Imp. prima uxor. Natæ sunt ex hac Margareta, & Elizabetha. *Christ. Matth. cap.* 2.

Anna, seu Agnes, Rodolphi Palatini ad Rhenum filia, secunda uxor. Obiit sine prole. *Idem Peucer.*

Anna, seu Joanna, ut habet *Cuspinianus in Sigism.*, Bulconis Svidnicensis in Silesia filia, tertia uxor. Genuit Vvenceslaum. *Peucer.*

Elizabetha, Bugislai Stetinensium Ducis filia, quarta uxor. Genuit Sigismundum. *Peucer. Naucler.* & alii. *Munster.* in Vvenceslao, & *Christ. Matth.* addunt Joannem, quem apud plerosque non invenimus. Ex duabus uxoribus postremis natæ sunt Carolo filię quoque plures: Catharina, Anna, Helena, Elizabetha altera, & altera Margareta. Hoc ordine uxores Caroli recensent *Peucer.* & *Dubrav.* quos sequitur *Christ. Matth.* At *Cuspinian.* primę uxoris loco ponit Elizabetham, secundę Agnetem, tertię Annam, seu Joannam, quartę Blancam.

CX.

C X.



VVENCESLAUS, Caroli IV ex Anna seu Joanna filius, Patris artibus ac pecunia in Romanorum Regem electus, successit eidem in Imperio A. 1378. Princeps corpore animoque deformis, libidini, crapulæ, incantationibus, sævitiæ deditissimus, nihil gessit memoria dignum. Lustralem aquam lotio respersisse fertur, sicut olim e Græcis Imperatoribus Constantinus *Copronymus*. Urbem ditionemque Mediolanensem Jo: Galeatio Virtutum Comiti vendidit, ipsumque primi Mediolanensium Ducis titulo insignivit, acceptis ad eodem 100000 Florenis, sive 150000 secundùm alios. In carcerem bis conjectus est: Primò a Baronibus, post 17 hebdomadas inde ereptus a Joanne fratre suo Lusatiæ Duce, & Procopio Moraviæ Marchione: Secundò a fratre suo Sigismundo, traditusque Alberto Austriæ Duci in custodiam. Sed cum parum diligenter custodiretur, fugam arripuit, adjutus præcipuè a quodam piscatore, regnoque se restituit; cum verò in meliorem non evaderet, ab Electoribus Imperio privatus est A. 1400, cum illud scilicet a patris morte per Annos 22 tenuisset. Reliquum vitæ in Bohemia egit, & 18 post annos, cum annum ageret ætatis 57, in paralysim lapsus ex iracundia obiit, *tanquam porcus in volutabro*, ut inquit *Cuspinianus. Peucerus. Munster. Egnat. Naucler. Gen.* 47. *Æn. Sylv. cap.* 34. *Dubrav. lib.* 22. & 23.

Joanna, Alberti Bavariæ Ducis & Comitis Hollandiæ filia

filia, Vvenceslai prima uxor. Obiit sexto post anno ex dolore de Conjuge flagitiosissimo. *Peucer. Dubrav. libr.* 22, & 23.

Sophia, filia Joannis Bavariæ Ducis, quem *Jordanus* in notis ad *Dubravium* Joannem Stephanum Fibulatum Bavariæ Palatinum vocat, secunda uxor. *Peucer. Dubrav. lib.* 23. Nominatur Euphemia Vvenceslai filia, sed incertum est ex qua uxore. *Cuspinian.*

MANUEL II, Joannis III filius, Patrem excepit in Oriente An. 1391. Princeps, juxta *Ducam*, *sapientissimus*, *virtutibus clarus*, *temperantia & modestia insignis*. Cum a Turcarum Principe Bajazethe undique premeretur, totam ferè peragravit Europam ut auxiliares copias colligeret. Interim verò capto Bajazethe a Tamerlano illo celebri Tartarorum Rege, ob idque Turcarum rebus non parum decidentibus, cum iisdem facilè pacem iniit, nec inhonestam. Obiit ex apoplexia A. æt. 75, imp. 41. *Ducas cap.* 12, *&c. usque ad* 28. *Peucer.*

Ex uxore, cujus nomen apud aliquos Irena est, apud *Camerarium* autem Helena, quam *Peucerus* dicit Turcicam, viduam Regis Trapezuntini, suscepit Joannem, Theodorum, Andronicum, Constantinum, Demetrium, Thomam, & Michaelem, sive Emmanuelem. *Ducas cap.* 14, & 23. *Peucer.* Nominari ab aliquibus observo filias quoque Helenam, & Zoen.

CXI.



RUPERTUS, seu Rueprechtus, filius Ruperti *Tenacis* Bavariæ Ducis ex Beatrice Friderici Siciliæ Regis filia, Ludovici Bavari Imperatoris consanguineus, Vvenceslao substitutus est An. 1400, Bopardiæ electus. Ante ipsum creatus fuerat Imperator Francofurti Fridericus Dux Brunsuicensis, qui dum revertitur a comitiis, occisus est prope Frislarium a Comite Vvaldeccensi, jussu, ut fertur, Præsulis Moguntini. Fuit Rupertus corporis parvi, sed magni animi, justitiæ cultor, Christianissimus, & Imperialis Majestatis servandæ admodum studiosus. A Florentinis aliisque vocatus in Italiam adversus Galeatium Mediolanensem, cum exercitu properavit A. 1403; sed cum hoste congressus prope Lacum Benacum, ingenti clade victus, amissa spe omni Romam versus iter conficiendi, ut Imperii coronam acciperet, in Germaniam rediit. De Italia igitur non ultra sollicitus, Imperium suum pacificè administravit; licèt eo tempore tota ferè Europa bellis exardesceret. Obiit in oppido Oppenheim A. imp. 10. *Chron. Eluvag. Egnat. Blond. D. 2, lib. 10. Cuspin. Peucer. Naucler. Gen.* 47.

Primæ uxoris nomen ignoratur. Ex ea quidem natus est Rupertus cognomento *Pipa*, quem *Nauclerus* contra cæterorum fidem attribuit secundæ uxori.

Elizabetha, Burgravii Noribergensis filia, secunda uxor. Genuit Fridericum, Ludovicum, Joannem, Stephanum, Othonem, Margaretam, Elizabetham, & Agnetem. *Munster. Cuspin.*

Jodocus,

Jodocus, *Barbatus* dictus, Brandeburgi & Moraviæ Marchio, quem alii statim post Vvenceslaum, alii post Rupertum ponunt, a quibusdam inter Imperatores numeratur. Fuit Caroli IV ex fratre Joanne Henrico nepos; homo ad res gerendas ineptissimus. Coronatus non est, neque quidquam gessit memoria dignum. Obiit sexto post mense Brunę in Moravia. *Peucer. Cuspin. Munster.*

Uxorem habuit Hungarię Regis filiam, ex qua nullam prolem sustulit. *Cuspinianus.*

CXII.



SIGISMUNDUS, Caroli IV ex Elizabetha filius, Brandeburgensis Marchio, Hungarię ac Bohemię Rex, Ruperto successor datus est Francofurti Anno 1410. Princeps omni virtute clarus, sapientia, clementia, liberalitate, amore literarum; strenuus quoque, & ad quęlibet gerenda promptissimus, *facile æquaturus Carolos, & Othones, si ad pacis artes, quibus excelluit, parem felicitatem addidisset*. Academiam Pragensem ab Hussitis occupatam Lipsiam transtulit. Duobus Conciliis interfuit, quę ejusdem maximè opera celebrata sunt, ob idque maximam Europę partem Christianos Principes excitaturus peragravit. Primum fuit Constantiense, coactum A. 1414, in quo damnati sunt & cremati Joannes Hussus, & Hieronymus Pragensis: Alterum Basileense circa Annum 1431, adversus Hussitas pariter, eorumque asseclas, qui Bohemiam pręsertim latè infecerant. Horum Hęresis causa bellorum fuit Sigismundo, ab A. 1419 ad A. 1436, quę

absoluto Basileensi Concilio, pace sancita, dirempta sunt. Bellum quoque gessit cùm Venetis, sed cùm Forum-Julium invaderet, repulsus est. Interim A. circiter 1432 Romam ingressus cum exercitu, coronam accepit Imperii ab Eugenio IV Pontifice. Post Basileense Concilium in Hungariam, inde in Bohemiam se contulit, ubi morbo correptus Znoymam Moraviæ urbem deferri voluit, ibique occubuit, A. æt. 70, imp. 27, ab accepta verò corona 5. *Peucer. Egnat. Dubrav. lib. 25, &c. Blond. Dec. 3, lib. 1. Piccolom. cap. 1. Munster. Sleidan. lib. 3.*

Maria, Ludovici Hungariç Regis filia, Sigismundi prima uxor, quç marito detulit dotis nomine Hungariç regnum. *Peucer. Piccolom. cap. 1. Dubrav. lib. 25.*

Barbara, Hermanni Comitis Ciliç filia, secunda uxor. Impudicissima fœmina, quæ ideo a marito perpetuis carceribus destinata est, a quibus post ejusdem obitum exsoluta, vitam adhuc traxit per infandam libidinem, nulla alia de causa sibi vitam expetendam dicens, nisi ut voluptati sui corporis inserviret. Genuit Elizabetham. *Munster. Cuspin. Naucler. Gen.* 48 fusè.

JOANNES IV, Paleologus, Manueli Patri successit A. 1424, seu 1425. Concilio Florentino interfuit, & in reditu Venetias invisit A. 1442. Princeps quietis potiùs quàm bellorum amans, pacem cum Turcis initam olim servare studuit. Obiit ex podagra A. æt. 57, imp. 20. *Ducas cap. 28, &c. usque ad 33. Strada. Egnat.*

CXIII.

CXIII.



ALBERTUS II, Alberti Austriæ Ducis ex Joanna de Bavaria filius, omnium consensu Imperator electus est post Sigismundum A. 1438. Optimis artibus cum belli tum pacis enituit; *religiosus, liberalitate ac justitia præstans, in bellis audax, & manu promptus.* Sarmatas repressit; Hussitas Austriam infestantes in fugam egit. Turcas quoque ex Hungaria repellere jam inceperat: Sed in medio rerum cursu morte præreptus est, quam sibi nimio peponum usu comparaverat. Obiit apud Strigonium (*Sylv.* ait in villa quæ *Longa* dicitur) dum Buda Viennam reverteretur A. imp. 1 cum dimidio circiter. *Peucer. Egnat. Cuspinian. Naucl. Gen. 48. Sylv. cap. 1.*

Elizabetha, Sigismundi Imperatoris filia, Alberti uxor. Genuit Annam, Elizabetham, & Ladislaum *Posthumum*. *Munster. Peucer.*

C X I V.



FRIDERICUS III, Ernesti Austriaci & Cunegundæ de Nassau filius, Alberti II patruelis, electus est Imperator Francofurti A. 1440, auream autem coronam accepit A. 1452, a Nicolao V Pontifice Romæ, ad quam urbem reverti voluit etiam A. 1469, voti gratia. Non multò post Venetias venit, præmissa priùs uxore. Pacis artibus addictissimus, a bellis abhorruit, quæ tamen nonnunquam suscipere coactus est. Primò contra Albertum fratrem suum, qui etiam Fridericum Viennæ obsedit; sed ipsum liberatum inde fuisse a Bohemiæ Rege tradit auctor *Chronici Elwvag.* Secundò adversùs Matthiam Hunniadem Hungariæ Regnum sibi deposcentem; lis autem statim ferè incruentè composita est per Germaniæ Principes, pacta conditione, ut coronam a Friderico Matthias redimeret octoginta millibus aureorum. Tertiò cum Matthia Corvino, qui collationem Bohemici Regni denegabat; & quidem Fridericus per multos annos exagitatus est, Viennaque etiam expulsus, quare per Germaniam circumcursavit; majusque fortasse discrimen subiisset, nisi Albertus Saxoniæ Dux impigra navata opera Imperatorem penè restituisset. Cum eodem Matthia pax A. 1489, sancita est. Cæterà fuit Fridericus ingenio perspicax, amator & remunerator virtutum, verbis factisque temperans, sui nec avarus, nec prodigus, ideoque vulgò potiùs tenax habitus; cibi vinique parcissimus. Obiit Lentiæ, gravi contracto morbo ex peponum esu, A. ætat. 78, imp. 53, cum

dimi-

dimidio; nullusque Imperatorum, Octavianum Augustum si excipias, tandiu imperavit. *Peucer. Egnat. Munst. Cuspin. Naucler. Gen.* 49, *&* 50.

Eleonora, Eduardi (quidam dicunt Alphonsi, sed a plerisque dissentiunt) Portugalliæ Regis filia, Friderici uxor. Genuit Maximilianum, Christophorum, Joannem, Helenam, & Cunegundam. *Vuolfg. Laz. lib.* 3. *in Gen. Reg. Portugal. Egn. Munster. Naucler. sub A.* 1452.

CONSTANTINUS XI, Joanni fratri successit in Orientis Imperio Anno 1445. Princeps magni animi, & pugnacissimus, qui sæpiùs Turcas profligavit, nomenque *Draconis* ob id obtinuit. Defecit in eodem Orientis Imperium, fatis ita ferentibus, ut sicuti olim Occidentale, ab Augusto inchoatum, in Augustulo desierat; ita & Orientale, quod Constantinus instituerat, sub Constantino pariter everteretur. Contigit hoc A. 1453, quo Mahometes II Turcarum Rex validissima oppressam obsidione Constantinopolim post 54, dies tandem cepit, numero potiùs militum, quàm virtute expugnatam. Capta civitate, ipse quoque Imperator Constantinus dum pugnat vulneratus est; indeque a trepida multitudine in fugam tractus ad portas urbis, & fugientium impetu ibi conculcatus. Agnito per paludamentum cadavere, abscissum est ipsi caput, paloque affixum ad Christianorum terrorem circumlatum. Ita corruit Imperium in Oriente, quod ab A. 330, quo a Constantino M. institutum est, duraverat Annos circiter 1123. *Duc. cap.* 33, *&c.* Ex nostris *Naucler. Gen.* 49. *Camerar. Æn. Sylv. & alii.*

Theodora, & Catharina Constantini uxores recensentur, ex quibus tamen nulli geniti liberi.

C X V.



MAXIMILIANUS, Friderici III ex Eleonora filius, a Patre consors factus Imperii, successit eidem A. 1493. Imperator virtutibus clarus, justitia, clementia, amore literarum, temperantia, magnanimitate, modestia, liberalitate, quam tamen prodigalitatem nonnulli vocant, eundemque hinc redarguunt. In Italiam non semel venit, sed Imperii coronam a Pontifice non accepit, bellis semper implicitus cum Gallis, & Venetis, quæ videre est præsertim apud *Guicciard. Hist. lib.* 3, *&c. & Coccin.* Memorabile fœdus illud Cameracense iniit An. 1508 contra Venetos cum Ludovico XII Franciæ Rege, & Julio II Pontifice. Et quidem multum tunc damni perpessi sunt nostri, quibus plerasque continentis urbes Imperator arripuit; sed brevi Venetorum opibus ac virtute eo redacta res est, ut & fœdus exsolveretur, & ipsi intra quatuor circiter Annos amissa omnia recuperarent, & Maximilianus ex Italia pelleretur. Ipse in Germaniam reversus, obiit apud Vvelsam in Austria ex alvi profluvio, A. ætat. quasi 60, imper. 25. *Peucer. Chron. Germ. lib.* 30. *Munster. Cuspinian. Christ. Matth. Bucholc.*

Maria, Caroli Burgundiæ Ducis filia, Maximiliani prima uxor. Inter venandum equo lapsa, fractoque inde fæmore, & præ pudore affecti loci curationi reluctata, obiit post paucos dies. Genuit Philippum Caroli V patrem, Franciscum, Georgium, & Margaretam. *Peucerus. Cuspinianus.*

Secundæ uxoris loco desponsata ipsi fuerat Anna Franci-

sci

sci citerioris Britanniæ Ducis filia, sed ipsam non duxit; Carolus VIII enim Rex Franciæ violenter illam legatis eandem ducentibus arripuit, sibique junxit. *Cuspin.*

Blanca Maria, Galeatii Vicecomitis Mediolanensis filia, altera uxor. Hæc nullam sobolem edidit. *Peucer. Naucl. Gen.* 50, *sub A.* 1494.

CXVI.



CAROLUS V, Philippi Hispaniarum Regis filius ex Joanna Ferdinandi Regis pariter Hispaniarum filia, dum paternum Regnum ministraret, ad Imperium assumptus est Anno 1519. Renunciatus quidem prius fuerat Fridericus Saxoniæ Dux *Sapiens* cognomento; hic autem dignitatem recusavit, Carolumque unum tanto oneri parem testatus est. Et quidem fuit Carolus Imperatorum nulli secundus, si vel ad mores & acta togata, vel ad gesta militaria respicias. Bella gessit toto ferè principatus sui tempore. Celebratissimum est Gallicum cum Francisco Galliarum Rege, Anno 1521 inceptum propter Ducatum Mediolanensem, quem a Gallis usurpatum Cæsar ægrè patiebatur. Bellum hoc tertiò resumptum est acrioribus semper odiis, mutuisque ac sævissimis internecionibus; duravitque per Annos 23, (cur *Genebrardus* dicat 38, non constat) usque ad Annum 1544, quo pax firmata est, bis tantùm facto armorum interstitio, sed brevi, ac parum firmo. Inter cæteros ipsius eventus memorabilis est pugna ad Papiam, A. 1525 commissa, in quo Franciscus ipse captivus factus est, & in Hispaniam perductus, ubi apud Mantuam Carpetanorum carceri

traditus est, anno sequenti inde solutus; liberis suis obsidibus priùs datis, asperisque conditionibus acceptis. Libertati autem restitutus, negavit se promissionibus teneri, quocirca fœdus statim cum Pontifice, Venetisque contra Imperatorem percussit. Hic Italiam ingressus Caroli Borbonii ductu Urbem obsedit, cepit, & incendit, turpiùs quidem quàm Christianum Principem deceret Anno 1527. Anno autem 1530 Bononiæ coronatus est ab ipso Clemente Rex Longobardorum, & Imperator. Eodem anno Melitam Insulam Hierosolymitanis Equitibus dono dedit, quos Turcæ Rhodo depulerant. In Africam Anno 1535 transmisit; oppressoque Pirata *Barbarossa* Tunetanum Regnum Mulcassi restituit, quem sibi fecit vectigalem: Hujus belli diarium videre est apud *Etropium*. Bella inde gessit contra Protestantes, & Magdeburgenses ductu Mauritii Saxoniæ Ducis, qui egregiam primò contra hostes pro Cæsare navavit operam, unde & Electoris dignitate donatus est A. 1548, ut scribit *Mameranus* in speciali opusculo; inde verò paulatim Hæreticis adhærens, lentè res administravit, auctorque fuit pacis ineundæ, quæ A. 1551 sancita. Hocque non contentus, contra eundem Carolum arma movit, quem & multis damnis affecit; quocirca obstare non potuit Imperator, quin pestifera Lutheri Hæresis latè per Germaniam vagaretur. Hisce rebus mœrore confectus, Imperium fratri cessit A. 1555; inque Hispaniam se recepit, ubi in Monasterio D. Justi in finibus Castellæ vixit; obiitque A. 1558, æt. 58, imp. usque ad depositionem 39. *Chron. Germ. Munster. Genebr. lib.* 4. *Bucholc. Christ. Matth. Thuan. libr.* 1, *&c. Petav. libr.* 9. *Mameran.* Adde pro bellis adversus Hæreticos *Momfortium*, *Besselmejerum*, præterea *Anon. de abdicat. Imp.* &c.

Isabella, seu Elizabetha, Emanuelis Portugalliæ Regis filia, Caroli uxor, quam duxit Hispali A. 1526. Genuit Philippum II Hispaniarum Regem, Ferdinandum, Mariam, & Joannam. Vixit cum marito annos 13, obiitque ex partu. Ante hanc uxorem susceperat Carolus ex contubernio Margaretam, primùm Alexandro de Medicis, inde

Octa-

Octavio Farnesio desponsatam, qui ex eadem suscepit Alexandrum illum famigeratissimum Belgii moderatorem. Post Isabellæ filios, natus ipsi ex fœmina quadam Ratisponensi Joannes ille *Austriacus* cognomento. *Bucholc. Christ. Matth. Thuan. lib.* 21.

CXVII.



FERDINANDUS, Caroli V frater, Bohemiæ Rex jam creatus Anno 1527, & Rex Romanorum A. 1531, renunciatus est Imperator A. 1558 Francofurti, cum ibidem Carolus Imperium in manus Electorum per Legatos deposuisset. Princeps pius, mitis, affabilis, temperans, & pacis artibus illustrior. Bella valde memorabilia non gessit; unum tantùm aut alterum non magni momenti suscepit, ex necessitate tuendi Hungariam contra Turcas. Germaniæ suæ igitur quieti consuluit, qua in re tamen non caret crimine, quippe quòd Lutheranis nimium otii ac tranquillitatis indulserit, impiæque Hæresis pravitati, prout decuerat, non obstiterit. Obiit Viennæ, ex catarrhali morbo in tabem resolutus, A. æt. 61, imp. 7, circiter. *Anon. gest. sub Ferd. Bucholc. Christ. Matth. Thuan. lib.* 21, *&c.*

Anna, Ladislai Hungariæ Regis filia, Ferdinandi uxor. Genuit Maximilianum II, Ferdinandum, Joannem, Carolum, Elizabetham, Annam, Mariam, Magdalenam, Catharinam, Eleonoram, Margaretam, Barbaram, Ursulam, Helenam, & Joannam. In hujus partu mater obiit, cum annum ageret 44. *Dubrav. lib.* 33. *Christ. Matth.*

CXVIII.



MAXIMILIANUS II, Ferdinandi filius, Bohemiæ olim & Hungariæ Rex creatus, suffectus est Patri Anno 1564. Moribus & ingenio Patri simillimus fuit, pacis conservandæ studiosissimus; quare sub eodem Protestantibus magna libertas contigit, & latus patuit campus Lutheranæ Hæresis grassationibus. Bellum gessit pro Hungaria sua contra Solymanum II Turcarum Regem, ejusque filium Selimum II, ab An. 1566 ab An. 1568, quo pax octennalis firmata est. Obiit Ratisbonæ, vel ex dolore calculi, vel secundùm alios ex palpitatione cordis, An. ætat. 49, aut 50, imper. 12. *Anon. gest. sub Maximil. II. Genebr. l. 4. Bucholc. Christ. Matth. Thuan. libr. 32, &c.*

Maria, Caroli V filia, Maximiliani uxor. Edidit Rudolphum II, Ernestum, Matthiam, Maximilianum, Albertum Vvenceslaum, Annam Mariam, Elizabetham, & octo alios liberos, qui mortui sunt in infantia. Obiit juxta *Bulcholc. An.* 1603. *Christ. Matth. Thuan. lib.* 21.

CXIX.

CXIX.



RUDOLPHUS II, Maximiliani II ex Maria filius, paterna Regna Imperiumque accepit An. 1576, in Ratisbonensibus Comitiis antecedenti anno successor patri jam declaratus. Imperium, quod ab eodem tranquillum acceperat, sapienter ac ferè semper pacificè administravit. Unum gessit bellum cum Amurathe Turcarum Rege per Annos 14, ab Ann. 1592 ad Ann. 1606, in quo ancipiti marte ac mutuis cladibus pugnatum est, pace tandem per Annos 30 sancita prope Gomorram in Hungaria. Propter Hungariæ ac Transylvaniæ seditiones Hungaricum Regnum, & Austriæ Ducatum Matthiæ fratri cessit. Obiit ex mærore Pragæ, An. ætat. 59, imper. 35 cum dimidio circiter. *Buchole, Gotofr. Christ. Matth.*

CXX.



MATTHIAS, Rudolphi frater, Bohemiæ ac Hungariæ Rex, Imperator est renunciatus Francofurti Anno 1612. Princeps laudabilis, sed parum felix. Ipso enim imperante Lutherana lues per Bohemiam præcipuè diffusa incendium ingens excitavit, magno Catholicorum damno, qui Praga etiam expulsi sunt. Concepto ideo summo animi mœrore, obiit Imperator Anno ætat. 62, aut 63, imper. 7, translata priùs Praga Viennam Austriæ Imperii sede. *Bucholc. Petav. libr. 9. Boxborn. Briet. Sæc. 57. Dec. 2, cap. 2. Bracbel. lib. 1.*

Anna, Ferdinandi Austriæ Archiducis filia, Ferdinandi I ex eadem neptis, Matthiæ uxor, quam ipse duxit antequam fieret Imperator. Obiit paulò ante maritum. *Bucholc. sub A. 1611. Bracbel. lib. 1.*

CXXI.

CXXI.



FERDINANDUS II, Caroli Austriæ Archiducis ex Maria Bavara filius, Matthiæ patrueli suo suffectus est Francofurti Anno 1619. Princeps clarus virtutibus, Catholicæ Religionis piissimus propugnator. Bellum statim suscepit A. 1620 contra Fridericum Palatinum, qui, impellente Elizabetha conjuge, Hæreticorum ope in Bohemiæ Regem fuerat coronatus; eundemque profligavit, & rebelles ac tumultuantes repressit. Vicit quoque feliciter Protestantes, quos Danię Rex Christianus IV instigaverat, ac fovebat, commisso pręlio ad Luthram A. 1626; Annoque 1628 compositę sunt res, pace apud Lubecam sancita. In Italiam descendit A. 1629, validissimo cum exercitu, contra Ludovicum XIII. Galliarum Regem; & Mantua, quam Gallus post Ducis Vincentii mortem aucupabatur, potitus est. Sequenti anno atrox cum Gustavo Svecorum Rege suscepit bellum, quo hostibus prosperè admodum cedente, plures in superiore etiam Germania urbes Imperator amisit. Cęso autem Gustavo A. 1632, in Lutzensi pugna prope Lipsiam, hostium fortuna detrimentum patiente, cœpit Cęsar meliori fato adversus eosdem proficere ductu filii Ferdinandi. Obiit Viennę, Anno ætat. juxta plerosque 61, juxta *Cheur.* 59, imper. 18. *Briet. loc. supracit. & Dec.* 4, *cap.* 4. *Boxhorn. Petav. lib.* 9. *Brachel. lib.* 1, 2, 3, 4, & 5.

Marianna, Gulielmi Bavariæ Ducis filia, Ferdinandi uxor. Peperit Ferdinandum III, Leopoldum Gulielmum, Joan-

Joannem Carolum, Christianam, Mariannam, & Cæciliam. *Cheur. Brachel. lib. 5.*

Eleonora, Mantuæ Ducis filia, secunda uxor, quam sumpsit idem sexto viduitatis Anno, nimirum 1622. *Brachel. lib. 2, & 5.*

C X X I I.



FERDINANDUS III, Ferdinandum Patrem excepit An. 1637. Bellum jam inchoatum cum Svecis prosecutus est variis casibus, & mutuis hinc inde cædibus usque ad Annum 1648, quo convenientibus Monasterium omnium ferè Europæorum Principum Legatis, pax firmata est, mediatore in primis Veneto Plenipotentiario Aloysio Contareno. Pacificè ferè inde semper, licèt undique bellis ac tumultibus proximiorum vexaretur, Imperium administravit per summas virtutes, pietatem præcipuè, qua se se semper Catholicæ Religionis propugnatorem exhibuit. Obiit Viennæ pedum doloribus catarrhali morbo superveniente, Ann. ætat. 49, imper. 20. *Briet. loc. cit. &c. Boxborn. Brachel. lib. 5, &c. Thulden. a lib. 1 ad 7.*

Marianna, Philippi III Hispaniarum Regis filia, Ferdinandi prima uxor, Anno 1631. Genuit Ferdinandum, Philippum, Maximilianum, Leopoldum, Mariannam, & Mariam. *Cheur. lib. 5, cap. 1.*

Maria Leopoldina, Leopoldi Æni pontis Ducis filia, secunda uxor An. 1647. Genuit Carolum Ignatium, seu Josephum juxta alios. *Cheur. ibid. Briet. sub A. 1648.*

Eleo-

Eleonora Gonzaga, Caroli Secundi Mantuæ Ducis filia, tertia uxor A. 1651. Genuit Theresiam, Eleonoram, Mariannam, & Ferdinandum. *Ibidem. Boxhorn. sub Anno* 1651. *Bracbel. lib. 8, sub eodem Anno*. Obiit Anno 1686. *Supplem. Briet.*

CXXIII.



LEOPOLDUS, Ferdinandi III ex Marianna filius, post mensium quindecim Interregnum, Patri successit in Imperio, An. 1658, in Romanorum, Hungariæ, ac Bohemiæ Regem olim jam post Ferdinandi fratris sui mortem electus. Princeps tum pietate aliisque virtutibus, tum felicitate inter præclaros meritò recensendus. Bellum primò cum Ludovico XIV Galliarum Rege variis eventibus gessit, quod, Turcis nova molientibus, diremptum est, sancitis Ratisbonæ vicennalibus induciis An. 1684. Cæpit tunc temporis igitur acerrimum Bellum Turcicum, Hungaris, & Comite Tekelio præsertim, qui a Cæsare defecerant, instigantibus, quo ipsa Imperatoris sede dirè obsessa urbe Vienna, universi jam penè orbis Christiani res in summum discrimen adductæ videbantur. At per duos circiter Menses interiùs fortissimè propugnata urbe, exteriùs verò immani illata hostibus cæde, Barbarorum fortuna declinare penitus jussa. Inito enim ab Imperatore ipso cum Innocentio XI Pontifice, Joanne III Poloniæ Rege, ac Veneta Republica fœdere, gravissima ubique Turcarum Imperium detrimenta passum est; donec Pax tandem Carlovitii sancita A. 1699. Bellum

interim

interim rursum cum eodem exarserat Galliarum Rege, quod usque ad Anno 1697, quo Pax Rysvici firmata, vario marte duraverat. Nec multò post & tertium Gallicum susceptum, Anno scilicet 1701, propter successionem in Caroli II; Hispaniarum Regis fato functi ditiones: Quod quidem bellum in Italia, in Belgio, & in Hispania summa vi utrinque actum. At in felici rerum cursu obiit Imperator Viennæ hydrope confectus, A. æt. 65, imper. 47. *Hist. Prof. Petav. App.*

Margareta Teresia, Philippi IV, Hispaniarum Regis filia, Leopoldi prima uxor, A. 1666. Genuit Ferdinandum, Mariam Maximiliano Bavariæ Duci desponsatam, Joannem, & Mariannam. Obiit Anno 1673. *Anon. Princ. Mund.*

Claudia Felicitas, Ferdinandi Caroli Austriæ Archiducis filia, secunda uxor, Anno 1673. *Filias habuit* Annam Mariam, & Mariam Josepham, quæ infantulæ e vivis excesserunt. *Idem.*

Eleonora Magdalena Teresia, Philippi Gulielmi Electoris Palatini filia, tertia uxor, A. 1676. Suscepit Josephum mox Imperatorem, Mariam Elisabetham adhuc viventem; Leopoldum Josephum, qui biennis occubuit; Mariannam Joannis V Lusitaniæ Regis uxorem; Mariam Teresiam, anno post fato functam; Carolum nunc imperantem; Mariam Josepham jam mortuam; Mariam Magdalenam adhuc viventem; & Mariam Margaretam, anno ætatis primo defunctam. *Idem.*

CXXIV.



JOSEPH, Leopoldi & Eleonoræ Magdalenæ Tereſiæ filius, in Romanorum Regem Anno 1690 electus, Patri ſucceſſit in Imperio A. 1705. Bellum cum Gallis, a Patre jam inchoatum, acerrimè proſecutus eſt, ac feliciter, tum in Italia, in qua Mantuanam, Mediolanenſem, Neapolitanamque ditiones cæpit, tum etiam in Belgio, cujus non mediocrem partem acquiſivit. Variolarum morbo correptus, brevi e vivis ſublatus eſt, A. ætat. 33, imp. 6. *Pet. App.*

Wilhelmina Amalia, ſeu Amelia, Friderici Brunſuicenſis Ducis filia, Joſephi uxor An. 1699. Genuit eodem Anno Mariam Joſepham, Friderico Auguſto Poloniæ Regis & Saxoniæ Electoris filio Anno 1719, in uxorem datam: Anno autem 1700. Leopoldum Joſephum, ſequenti anno defunctum, & A. 1701, Mariam Amaliam. *Anon. Princ. Mund.*

O CXXV.

CXXV.



CAROLUS VI, feliciter imperans, Fratri Josepho successit Anno 1711, Hispaniarum Rex, Patre adhuc vivente, Anno 1703 jam renunciatus. Præter bellum pro Hispaniarum successione, a Patre ac Fratre gestum, ut supra diximus, cui virtute pari ac felicitate incubuit, addita acquisitis jam provinciis Sicilia, Turcicum etiam, inito cum Venetis fœdere A. 1716, breve quidem, per biennium circiter, sed acerrimum ac memorabile gessit; captis Temesvaria, & Belgrado; bis ad internecionem cęsis hostium exercitibus; rebusque eorum admodum fractis, ut ineundæ paci omnem Turcæ operam dederint; quæ inter ipsos ac Fæderatos, missis a Britanniarum Rege Batavorumque Republica Plenipotentiariis ac Mediatoribus Legatis, in vico Posarovitza sancita est An. 1718. Tam præclaris Imperii primordiis meliora semper majoraque rerum fata precari & augurari licet, quæ felicioris Scriptoris erit immortalitati consecrare.

Elizabetha Christina, Ludovici Rodulphi de Vvolfenbutel Brunsuicensis Ducis filia, Caroli uxor A. 1711. Genuit A. 1716 Leopoldum, eodem anno mortuum; A. 1717 Mariam Teresiam Vvalburgam Amaliam Christinam, & A. 1718 Mariannam. Ante hanc destinata ipsi fuerat in uxorem A. 1703 Teresia Josepha Xaveria Lusitaniæ Regis filia, quæ sequenti anno novennis occubuit.

BREVIS

BREVIS NOTITIA
NUMISMATUM IMPERIALIUM.

Absoluta Imperatorum serie, aliorumque hujus notæ, qui Numismatibus exhibentur, quæ Imperialia vocari solent, restat ut & aliqualem Numismatum ipsorum notitiam subnectamus, prout in Prolegomenis sumus polliciti. Accipe, Lector humanissime, hoc loco perbrevem ipsam, & qualis ad genericam quandam cognitionem comparandam sufficere posse iis videtur, qui studia hæc aggrediuntur: Namque & incipientibus scribimus, non proficientibus, & singillatim de Nummis loqui neque tenuitatis nostræ est, neque operis instituti. Per quinque autem ferè capita singulorum Imperatorum &c. Nummos considerabimus: Primò nimirum Æreos; secundò Argenteos; tertiò Aureos (Latinos hosce omnes intellige); quartò Græcos; quintò demum qui in Coloniis cusi, si extent. Hæc singula siquidem sunt, quæ primo intuitu subit observare.

C. J. Cæsaris igitur Ærei, primæ magnitudinis omnes solent occurrere, qui triti & vulgares. Argentei rari sunt. Aurei præstantissimi. Græci, & in Coloniis, qui secundæ & minimæ formæ tantùm hactenus observati, pro rarissimis habendi.

Lepidi Argentei rari. Aurei singularitatis eximiæ. Ærei paucissimi referuntur.

M. Antonii Argentei frequentes. Aurei inter rariores, & Ærei. Græci cum sola ejus effigie rarissimi. In Coloniis, secundæ tantùm & minimæ formæ extantes, itidem rarissimi.

Augusti Ærei primæ formæ rari, secundæ obvii. Argentei, & Aurei vulgares. Non aliter Græci secundæ, &

minimæ; at primæ rariſſimi, quod & de Nummis in Coloniis dicendum.

Liviæ omnes cum ejus effigie eximiæ raritatis habentur.

Agrippæ Ærei, qui mediocres tantùm, obvii. Argentei inter rariores; Aurei inter rariſſimos cenſentur. Item & in Coloniis, excepta Nemauſo, cujus Nummi frequentes.

Caii & Lucii pauciſſimi qui extant, ſeu Latini, ſeu Græci, ſeu in Col. omnes ex ære medio ſunt, admodum rari.

Tiberii Ærei primæ formæ rariſſimi, ſec. obvii. Argentei, Aurei, & Græci frequentes; nec non in Col. mediæ & minimæ magnitudinis.

Druſi Minoris Ærei mediocres tantùm occurrunt, qui vulgares. Argentei rariſſimi: Aurei non obſervantur. In Col. eximiæ raritatis.

Druſi Majoris Ærei primi moduli ſolùm extant, nec rari, nec obvii. Tales Aurei, & Argentei.

Antoniæ Ærei ſec. formæ tantummodo habentur, frequentes Argentei, & Aurei non obvii.

Germanici Ærei primæ formæ rariſſimi; mediæ vulgares. Argentei rari: Aurei rariores. Græci, & in Col. rariſſimi.

Agrippinæ Germanici Ærei frequentes. Argentei, & Aurei rari. Græci, & in Col. rariſſimi.

Neronis & Druſi Ærei cum effigiebus equitibus, prout exhibet Nummus, quem incidi ſuo loro curavimus, ſecundæ formæ tantùm obſervantur, non omnino obvii. Cum capitibus verò nonniſi in Col. extant, qui eximiæ raritatis.

Caligulæ Ærei primæ formæ non prorſus obvii, ſec. triti. Aurei, atque Argentei rari. Græci ſec. moduli rariſſimi; at minimi frequentes. In Col. primæ formæ rariſſimi, ſec. ac minimæ non obvii.

Claudii Ærei frequentes & triti. Aurei & Argentei rari. Græci, & in Col. frequentes pariter; hique primæ formæ non obſervantur.

Meſſa-

Meſſalinæ ex omni metallo & forma rariſſimi.

Britanici omnes rariſſimi.

Agrippinæ Claudii omnes rariſſimi.

Neronis ex omni modulo & metallo vulgares & obvii. Tales & Græci, exceptis iis qui primæ formæ ſunt. In Colon. primæ magnit. non obſervantur; reliqui obvii.

Octaviæ Omnes rariſſimi.

Poppeæ Omnes rariſſimi, exceptis quibuſdam Græcis ex ære parvo, qui non rari. Argentei, & Aurei Latini nondum obſervati.

Galbæ Ærei & Argentei vulgares: Aurei inter rariores. Græci cum urbis cujuſpiam nomine, & in Col. rariſſimi.

Clodii Macri omnes rariſſimi.

Othonis Ærei Latini omnium Imperatorum rariſſimi. Antiochiæ ipſos ſignatos contendunt Antiquarii. Argentei, licèt non obvii ſint, non rari tamen habentur: Aurei rariores ſunt. Græci admodum rari, omnes quidem mediæ formę, & in Ægypto, ut communiter creditur, percuſſi.

Vitellii Ærei mediæ formæ rari, primæ rariores. Argentei frequentes; Aurei rari. Græci Othonianis ferè rariores.

Veſpaſiani Ærei, Argentei, & Aurei frequentes. Græci primæ formæ rari, cæteri non item. In Col. qui nonniſi ſecundi & tertii moduli extant, inter rariores.

Domitillæ omnes inter rariores recenſendi.

Titi omnes frequentes eſſe ſolent. Qui in Coloniis tamen ſunt, pro rariſſimis cenſentur, Antiochiæ Syriæ exceptis.

Juliæ Titi Ærei mediocres tantùm reperiuntur, qui non obvii. Argentei rari ſunt; Aurei, & Græci rariſſimi.

Domitiani omnes vulgares ac triti. Græci tantùm, & primi moduli in Col. pro raris habentur, ſec. autem ac minimi vulgares pariter ac triti ſunt.

Domitiæ omnes reliquarum Auguſtarum rariſſimi, ex ære magno præcipuè.

Nervæ Ærei atque Argentei vulgares. Aurei rari Græci, & in Col. rariſſimi.

Trajani ex omni metallo & forma frequentes. Tales & Græci, & in Col. ſecundæ & tertiæ formæ: At primæ omnino rari.

Plotinæ omnes rariſſimi.

Marcianæ omnes rariſſimi.

Matidiæ omnes rariſſimi.

Hadriani ex omni metallo & forma, tum Græci tum Latini, frequentes. In Col. primæ formæ rari; cæteri obvii.

Sabinæ omnes frequentes & triti. Græci autem, & in Coloniis admodum rari.

Ælii Cæſaris Ærei primi moduli rari, cæteri vulgares. Argentei vulgares pariter, Aurei rariſſimi. Tales Græci, & in Coloniis.

Antinoi omnes rariſſimi.

Antonini Pii ex omni metallo & forma, Græci & Latini, frequentes; necnon & in Col. ſecundæ & tertiæ formæ; primæ verò rariſſimi.

Fauſtinæ Senioris Ærei, Argentei, & Aurei vulgares. Græci, & in Col. rariſſimi.

M. Annii Gal. Antonini eximiæ raritatis habentur, nec niſi Græci obſervantur.

M. Aurelii Philoſophi omnes vulgares & frequentes, exceptis primæ formæ in Col. qui rariſſimi ſunt.

Fauſtinæ Junioris ex omni metallo formaque obvii. In Coloniis autem eximia præſtant raritate.

Annii Veri omnes rariſſimi.

Lucii Veri Ærei, Argentei, & Aurei frequentes. Græci rari; necnon primæ formæ in Col. at reliqui obvii ſunt.

Lucillæ Ærei, Argentei, & Aurei vulgares. Græci rariſſimi, & ſi qui in Col. reperiuntur.

Commodi Ærei, & Argentei, Latini & Græci, frequentes habentur. Aurei inter rariores ſunt. In Col. primæ formæ rariſſimi; cæteri obvii.

Criſpinæ

Crispinæ Ærei, & Argentei frequentes. Aurei, Græci, & in Coloniis rarissimi.

Pertinacis Ærei, primæ formæ præsertim, rari sunt. Aurei & argentei non aliter. Græci rarissimi.

Titianæ omnes eximiæ singularitatis sunt. Insignem Græcum vulgavit *Nic. Franc. Haym.*

Did. Juliani omnes rari, præsertim ex ære medio.

Manliæ Scantillæ omnes rari, & ipsi præsertim ex ære medio.

Didiæ Claræ Ærei primæ formæ rari; secundæ nondum observati. Aurei rarissimi. Argentei eximiæ raritatis.

Pescennii Nigri Ærei Latini *rara avis in terris*, ut inquit *Mediobarbus*. Argentei inter Imperatorios rarissimi sunt. Aurei non observantur. Græci egregiæ sunt raritatis, & elegantiæ. Qui in epigraphe verbum *Justos* præferunt, arte facti sunt *Vaillantio* judice.

Albini Cæsaris Ærei primæ formæ rari, secundæ inter rariores. Argentei cum Cæsaris nomine rari, cum Imperatoris rariores. Aurei rarissimi. Græci quoque eximiæ raritatis. Cæterùm in Coloniis, *Pertinacis*, *Did. Juliani*, *Manlię Scantillę*, *Didię Clarę*, *Albini* non observantur.

Septimii Severi Ærei & Argentei frequentes. Aurei non obvii. Græci, & in Coloniis primæ & secundæ formę frequentes pariter; at primæ rari.

Juliæ Domnæ Ærei obvii & triti, præter eos qui *Domnę* verbum præferunt, qui non omnino obvii. Græci vulgares. In Col. secundæ ac minimę formę rari, primę rarissimi.

Caracallæ omni ex metallo ac forma frequentes.

Plautillæ Ærei primæ formæ, eximiæ sunt raritatis. Argentei obvii. Aurei inter rariores. Græci primæ formæ rarissimi; cęteri nec rari, nec obvii. In Col. minimæ tantùm formæ observantur, apud Corinthios cusi, qui rarissimi.

Getæ Ærei primi moduli rari, secundi vulgares. Argentei obvii. Aurei inter rariores. Græci, cum Cæsaris no-

mine præfertim,frequentes. In Col. primæ formæ rarisſimi, reliqui obvii.

Macrini Ærei primæ formæ Græci & Latini rari ſunt, ſecundæ non obvii. Argentei frequentes; Aurei inter rariores. In Coloniis rari, & qui majoris moduli ſunt, rariſſimi.

Diadumeniani Ærei ſecundæ formæ rari, primæ rariſſimi. Argentei rari: Aurei rariſſimi. Græci ex omni modulo inter ratiores. In Col ex ære magno non obſervantur; ex medio & minimo qui extant, inter præſtantiores cenſentur.

Elagabali Ærei primæ formæ rari, ſec. obvii. Argentei, & Aurei frequentes, item & Græci, & in Coloniis Adnotandum quod hujus Imper. Nummi eandem, ac ii qui ad Caracallam ſpectant, epigraphen præferunt, diſtingui autem ſolent per aſtrum ſeu ſtellam, quæ in ipſorum area obſervatur.

Jul. Paulæ Ærei primi moduli inter rariores; ſecundi non obvii. Argentei frequentes: Aurei rariſſimi. Tales & Græci, & in Coloniis.

Aquiliæ Severę Ærei ſecundæ formæ non obvii, primę rariores. Græci, & in Col. eximiæ raritatis.

Anniæ Fauſtinæ Ærei primæ tantùm formæ obſervantur, rariſſimi. Græci quoque omnino rari, & in Col. in quibus ſecundi tantùm & minimi moduli extant.

Juliæ Meſæ Ærei tum Latini tum Græci obvii. Item ex Argentei; Aurei rariſſimi. In Col. eximiæ ſunt raritatis.

Juliæ Sæmiadis Ærei primæ formæ rari, ſec. obvii, ut ex Argentei. Aurei rariſſimi. Græci rari. In Coloniis minimi tantùm & medii moduli extantes, eximiæ ſunt raritatis.

Alexandri Severi Ærei obvii, niſi ſint cum titulo Cæſaris, qui rari. Argentei, Aurei, Græci, & in Coloniis frequentes.

Sall. Barbiæ Orbianæ Ærei, & Argentei rari. Aurei nondum inſpecti. Græci rariſſimi.

Juliæ

Juliæ Mammeæ Ærei, & Argentei obvii. Aurei rarissimi. Græci nec rari, nec obvii. In Coloniis rari.

Maximini Ærei, & Argentei frequentes. Aurei rarissimi. Græci nec rari, nec obvii. In Col. rarissimi, secundæ & minimæ formæ tantùm hactenus observati.

Paulinæ Ærei primæ formæ rari, secundæ non reperiuntur. Argentei pariter rari; Aurei nondum observati.

Maximi Cæsaris Ærei primæ & secundæ formæ non omnino vulgares. Argentei rari; Aurei nondum visi. Græci pro raris habentur. Pro rarissimis in Col. qui secundæ & minimæ formæ tantummodo sunt.

Titi Quarcini omnimodæ raritatis, & vix inspecti.

Gordiani Afr. Senioris Ærei, qui primæ tantùm formæ hactenus observati, rarissimi, necnon & Argentei. Aurei quoque nondum visi. Græci, qui Ægyptii omnes & mediæ formæ sunt, rarissimi.

Gordiani Afr. Junioris omnes eadem gaudent raritate, ac Patris.

Balbini Ærei primæ formæ rari, secundæ rarissimi. Argentei rari; Aurei eximiæ raritatis; Item & Græci.

Pupieni Ærei primæ formæ rari, cum Maximi nomine præsertim; secundæ rariores, minùs tamen ac Balbini. Argentei rari: Aurei, & Græci rarissimi.

Gordiani Pii Ærei frequentes, nisi sint cum titulo Cæsaris. Argentei Aureis frequentiores. Græci quoque & in Coloniis obvii.

Sabinæ Tranquillinæ omnes rarissimi. Aurei non observantur.

Philippi Senior. omnes frequentes, exceptis Aureis, qui rari.

Otaciliæ Severæ Ærei vulgares. Græci nec rari, nec obvii. Argentei obvii; Aurei rarissimi. In Col. rari præsertim majores.

Philippi Junioris Ærei frequentes. Argentei pariter. Aurei rarissimi. Græci quoque vulgares. In Col. mediæ & minimæ formæ rari, majoris rarissimi, Antiochenis exceptis.

Marini omnes rarissimi.

Trajani

Trajani Decii Ærei vulgares. Argentei quoque obvii. Aurei inter rariores. Græci frequentes. In Coloniis rari, primi moduli præsertim.

Herenniæ Etruscillæ Ærei vulgares, atque Argentei. Aurei rarissimi. Græci inter raros, exceptis Samiis. In Coloniis inter rariores, primi moduli præsertim.

Q. Herennii Etrusci Messii Decii Ærei primæ formæ rari, secundæ rariores. Argentei rari; & qui cum Imperatoris titulo sunt, rarissimi. Aurei eximiæ præstantiæ. In Col. Antiocheni pro raris habentur; cæteri multò rariores.

Hostiliani Ærei primæ formæ rari, cum Imperatoris titulo præsertim, secundæ rariores, prout & Argentei. Aurei rarissimi. Græci, & in Coloniis inter rarissimos reponendi.

Trebon. Galli Ærei vulgares, ut & Argentei. Aurei inter elegantiores reponuntur. Græci obvii. In Col. rari, Antiochenis exceptis.

Volusiani Ærei obvii, nisi Cæsaris titulum præferant. Argentei quoque frequentes. Aurei rarissimi. Græci, & in Col. inter raros censendi.

Æmyliani omnes rarissimi.

Valeriani Ærei, & Argentei vulgares. Aurei inter rariores. In Colon. non obvii, præsertim primæ formæ. Græci frequentes.

Marinianæ Ærei, & Argentei non obvii. Aurei supra modum rari, unicus enim in M. Ducis Hetruriæ Cimelio asservari traditur.

Gallieni Ærei, & Argentei, necnon Græci vulgares. Aurei rari; item & primæ formæ in Col. cæteri obvii.

Corn. Saloninæ Ærei, & Argentei vulgares. Aurei inter rariores. In Coloniis primi moduli rarissimi, reliqui pariter inter rariores. Græci obvii, nisi cum nomine *Chrysogone*.

Pub. Lic. Cornelii Valeriani Ærei secundæ formæ rari sunt; primæ verò & Aurei rarissimi. Argentei inter vulgares habentur.

Cornelii

Cornelii Salonini omnes rarissimi.

Lic. Valeriani Junioris Ærei & Aurei rarissimi. Argentei frequentes sunt. Ærei autem primę formę non observantur.

Cornelię Superę omnes, supra quàm dici possit, rarissimi. Aliqui Argentei tantùm videntur hactenus observati, quorum unus & quidem integerrimus a me inspectus nostra hac in Urbe, in præclaro Musæo Viri præstantissimi *Julii Justiniani* D. Marci Procuratoris jam fatis functi. A *Vaillantio* unus Æreus profertur.

Imperatorum Numismata, quę usque ad Gallieni tempora reperiuntur, *Superioris Sęculi* ab Antiquariis vocari solent, quorum quidem & magnitudines variæ insignes extant, & luculentiores typi, & elegantissimæ cælaturæ: Ideo & majori pretio a Cimeliorum possessoribus, & majori solicitudine comparantur. Post illud temporis quæ extant, *Inferioris Sęculi* iisdem dicuntur; quando scilicet, inclinante Romani Imperii majestate, ipsorum Nummorum tum pondus tum decus non parum defecisse satis constat; ipsaque plerunque cælatura deterior, rudiores typi, & ferè a veteribus varii occurrunt, nonnullos si excipias Nummos, qui communiorem eorum temporum molem solent excedere. Hoc autem sub ipso statim Gallieno cœpisse patet, sub quo utriusque generis Numismata, frequentiùs saltem quàm sub aliis ex anterioribus, tum nimirum ad *Superioris Sęculi*, tum ad *Inferioris* modulum & qualitates cæteras signata observantur. Desunt præterea in posterioribus hisce Nummis pleraque Græcarum Urbium & Coloniarum monumenta, unde tantum lucis Augustæ Historiæ, doctis autem Viris latissimæ eruditionis priùs accedebat: Quocirca quæ supersunt, nec tam ingenti pretio, nec tanto studio a quibusdam perquiri solent. Quemadmodum tamen sub initium admonuimus, cujuscunque temporis Nummos rite colligere Numismatophili ne dedignentur; jucundior enim fortasse illis opera laborque posteriorum sæculorum monumentis in serie disponendis insumetur, cùm non tam pronum obvium-

obviumque sit uberem eorundem integrorum copiam comparare. Quòd si ipsis libuerit, etiam hujusce generis Nummorum ex solo ære, non secus ac ex Superioris sæculi Nummis, seriem constituere sibi triplicem poterunt, cum & primæ, & secundæ, & tertiæ formæ in Imperatorum plerisque soleant occurrere, habita tamen magnitudinum inter Superioris ac Inferioris sæculi Numismata proportione, cùm in istis utique minores moduli sint, ac in illis. Cùm autem primæ formæ omnes hisce temporibus non frequentes sint, & nonnunquam cum ex Maximi moduli Numismatibus, qui rari semper habendi, confundi possint; ideo quæ de Nummorum raritate aut frequentia ad Heraclium usque proferemus, ea generatim intelligenda erunt de æreis secundæ & tertiæ formæ præsertim; isti namque communiores ii sunt, qui ad manus solent pervenire. Ubi autem nullum Metallorum discrimen adnotatur, tunc quæ dicentur de omnibus modulis ac metallis pariter erunt intelligenda. Sunt igitur Nummi.

Posthumi Patris in Italia rari, in Gallia obvii. *Juniæ Donatę* rarissimi. *Posthumi Junioris* rari

Cyriadis, *Ingenui*, *Lolliani* Rarissimi.

Victorini obvii. *Victorini Junioris*, *Victorię* seu *Victorinę* rarissimi.

Marii non omnino obvii.

Regilliani, & *Aureoli* rarissimi, Aurei præsertim.

Macriani Patris, ac *Filii* rari. *Balistę* rarissimi.

Domitii Domitiani rari omnes, at Argentei rarissimi.

Odenati, & *Herodis* seu *Herodiani* rarissimi.

Valentis, *Pisonis*, *Æmiliani* rarissimi.

Saturnini rari.

Tetrici Patris, ac *Filii* obvii. *Patris* autem Aurei rari, Argentei rariores: *Filii* verò contra Argentei rari, Aurei rarissimi.

Trebelliani Rari.

Herenniani, & *Timolai* rarissimi. *Vabalathi*, & *Celsi* Rari.

Claudii

Claudii Imp. obvii, at Græci Urbium rarissimi.
Censorini, & *Æliani* rarissimi.
Quintilli Imp. non obvii.
Aureliani, & *Severinę* obvii. Aurei tamen, & Argentei rari.
Taciti, *Floriani*, & *Probi* obvii. Aurei tamen rari, nec Argentei frequentes.
Saturnini, *Proculi*, *Bonosii* rarissimi.
Cari; *Carini* obvii; *Numeriani* non omnino. Singulorum verò Argentei, & Aurei rari. *Sabini Juliani* rarissimi.
Diocletiani, & *Maximiani Hercul.* obvii. Illius autem Aurei, & Argentei rari: Hujus Aurei non obvii; Argentei rariores.
Amandi nummum singularem profert *Bandurius*.
Achillei rarissimi.
Carausii, & *Allecti* rari, Argentei inter rariores, Aurei rarissimi.
Constantii Chlori obvii; sed Aurei, & Argentei rari. *Helenæ* non obvii; Aurei & Argentei rarissimi *Fl. Theodoræ* rari. Aurei non extant; Argentei rarissimi.
Maximiani Armentarii obvii. Aurei autem, & Argentei non item. *Gal. Valeriæ* non obvii. Aurei verò, & Argentei rarissimi.
Severi non obvii; Aurei, & Argentei rarissimi. *Maximini Dazæ* frequentiores; Aurei tamen & Argentei rari.
Maxentii obvii. *Magniæ Urbicæ*, & *Romuli* rari. Singulorum autem Aurei rarissimi, Argentei rari.
Alexandri rarissimi. *Nigriniani* rari.
Licinii Patris, ac *Filii* obvii; Aurei autem, & Argentei rari. *Constantiæ* an extent dubium.
Martiniani omnes rarissimi.
Constantini M. obvii; *Faustæ* omnes rari; Argentei præsertim; magisque Aurei.
Crispi obvii. Sed Argentei rari; Aurei verò rarissimi.

Con-

Constantini Jun. Constantis, & *Constantii* obvii, Ærei præsertim. *Maximę Faustinę* rarissimi.

Delmatii, & *Hanniballiani* rari omnes. Delmatii verò Argentei & Aurei rarissimi. *Hannibal

liani* autem non recensentur.

Magnentii obvii. *Decentii* non omnino. Utriusque verò Aurei & Argentei rari. *Desiderii* omnes rarissimi; & vix occurrunt.

Nepotiani, *ac Vetranionis* omnino rari; illius præsertim, cujus nec Aurei, nec Argentei hactenus inspecti.

Galli omnes rari. *Constantiæ* rarissimi.

Juliani obvii. *Helenę* autem rari, cujus Aurei quidem & Argentei penè desiderantur.

Joviani non obvii.

Valentiniani Senioris, & *Valentis* frequentes sunt. *Severę*, & *Justinę*, itemque *Dominicę* vix habentur.

Procopii omnes rarissimi.

Gratiani, & *Valentiniani Jun.* obvii.

Maximi Argentei, & Aurei rari, Ærei non item. *Victoris* omnes rari.

Theodosii frequentes sunt. *Ælię Flacillę* rari; Aurei autem, & Argentei rarissimi. *Gallę* non habentur: Qui enim *Gallę* nomen præferunt, videntur ad Gallam Placidiam Arcadii Honoriique sororem referendi.

Eugenii omnes rari.

Arcadii, & *Honorii* obvii. *Ælię Eudocię* rari.

Constantii Cęsaris rarissimi. *Gallę Placidię* rarissimi.

Constantini Tyr. rarissimi.

Jovini, *Sebastiani*, *Prisci Attali* omnes rari.

Theodosii Jun. non obvii. *Ælię Eudoxię* rari. *Joannis* rarissimi.

Valentiniani III rari. *Licinię Eudoxię* rarissimi.

Marciani; *Ælię Pulcherię*; *Petronii Maximi*; *Aviti* rarissimi.

Leonis I non obvii. Ærei enim, qui hoc nomen præferunt, Imperatori huic non assignandi *Bandurio* contra aliorum communem hactenus opinionem videntur.

Ælię

Æliæ Berinę rariſſimi. *Leonis Junioris* rari.

Majoriani, *Severi*, *Anthemii*, *Olybrii*, *Glycerii*, *Julii Nepotis* rariſſimi.

Zenonis rari, Argentei præſertim. *Leontio*, qui, hoc Imperatore, tyrannidem arripuit, adjudicandos eſſe Nummos cum Leontii nomine, ex artificii Nummorum ejus ætatis ſimilitudine, arbitratur *Bandurius*, quos antea Leontio Tyranno *Justiniani II* temporibus *Ducangius* adſcripſerat.

Baſiliſci rariſſimi.

Romuli Auguſti rariſſimi.

Anaſtaſii non obvii.


Juſtini non obvii. *Lupicię*, ſive *Euſemię* rariſſimi: Et qui nomen hoc geſtant, fortaſſe *Marcię Euſemię* Anthemii conjugi attribuendi.

Juſtiniani Senioris obvii.

Juſtini Junioris obvii.

Tiberii Conſtantini, *Mauritii*, *Phocę*, & *Heraclii* non obvii. Poſt Phocam ferme Imperatorum imagines in Nummis barbatæ admodum eſſe ſolent; quo diſcrimine utuntur Antiquarii ad Nummos ſimile nomen præferentes proprio Imperatori adjudicandos.

IN-



INDEX NOMINUM IMPERATORUM, &c. quæ in hoc volumine continentur.

A

M.

Caro-

G

H

I

Ma.

Mi-

Pla-

Q

R

Sa-

S

T

Ve-

FINIS.



Pag.	Lin.	*Errata*	*Corrige*
13	18	Petronilla	Petronia
32	23	Antonius	Antoninus
34	10	Domui suæ	Domi
49	21	auctore	auctor
64	2	e Dardania	in Dardania Mœsiæ *Superioris* ortus,
66	7	Maximini	Maximiani
94	13	illo	Ilo
96	25	&	ex
146	ult.	sufficeret	sufficere
208	2	Anno	Annum

